VIRO
MAGNIFICO, SVMME
DOCTISSIMOQVE D
DOMIN
IO. GOTT
HERMA
SS. THEOL. DOCTORI LONG
CONCIONATORI AVLAE REGIAE
PREMO, CONSILIARIOQVE ILLV
ECCLESIASTICI SVMMI, NEC NO
REGII ELECTORALISQVE, QV
CLEMENTISSIME CON

PATRONO AC F
DEVENERAND

SORTEM HANCCE ΔΙΑΚΟΝΊΑΣ *IN*
PROVIDA DEI C
SORTITO,
SVBMISSE GRATVLAB

S. I. C. I. C
DICIT

ORDO ECCLESI
DIOECESEOS NEVST
COMMENTANS S.
DE
SYNODIS AEVI AP
INTERPRETE
MICHAELE FRIDERICO
DIAC. NEVST. ET PRAEF. FIS

NEVSTADII AD OR
D. XV. Cal. Sept. M. DC
LITERIS VRBANI

IRO
MME REVERENDO,
OQVE DOMINO,
MINO,
TTFRIDO
IANNO,
LONGE-CELEBERRIMO,
EGIAE AC ELECTORALIS SV-
E ILLVSTRISSIMI SENATVS
NEC NON PROTO-SYNEDRII
VE, QVOD DRESDAE EST,
ME CONSTITVTO,
AC FAVTORI
ERANDO,
NÍΑΣ *IN SAXONIA SVMMAE,*
DEI CVRA,
RTITO,
RATVLABVNDVS,
C. I. O.
ICIT
LESIASTICVS
NEVSTADIENSIS,
TANS SIMVL
DE
VI APOSTOLICI,
RPRETE
ERICO LEVTHIERO,
EF. FISCI PAST. ET VID.

II AD ORLAM,
pt. M. DCC. XLVI.
VRBANIANIS.

VIR MAGNIFICE,

PATRONE FAVTORQVE

SVBMISSE VENERANDE,

Synodum, præterlapſo abhinc d. XIII. Cal. Auguſti, annuam, Summo annuente Numine, ex voto, omnesque inſuper hilari & fronte & ore & animo, celebravimus, ex quo muneribus tantæ dignitatis, tantique ponderis, TE, clementiſſime ornatum, intelleximus. Summe-Venerandum, nunc B. Hermannum, Paſtorem olim Weiranum, e Societate noſtra, *Zizam* vocatum, ibidemque Concionatorem Aulæ ſupremum, conſtitutum ſcimus; nunc & TE, VIR MAGNIFICE, CELEBERRIMVM HERMANNVM, non adeo multis abhinc annis Diaconum Rhaniſienſem, membrum venerabile noſtrum, dein Diaconum apud Pegavienſes, & ex illo Paſtorem & Ephorum vicinæ Plaviæ optime meritum, Dresdæ Concionatorem aulæ Regiæ ac Electoralis & ſupremum, & dignum, qui munus tam arduum, æque ac Conſiliarii illuſtriſſimi Senatus Eccleſiaſtici Summi, nec non Proto-Synedrii Regii ac Electoralis, & veſtiat & ornet, ea, qua par eſt ac decet, reverentia ſuſpicimus. Maximo id honori nobis & lætantes & ovantes, du-

ximus, ducimus, ducemusque, dum Spiritus hos reget artus, posterosque nostros & sibi ducturos, certo persuasi. Utque pia vota, pro SALVTE TVA, jamdum unanimi & corde & ore fecimus, ita, literis solennibus, idem ut faciamus, & TVA DIGNITAS, & nostra *pietas*, nos jubet. Synodus a nobis celebrata, ad Synodos ævi apostolici, nos ducit, & hæce nobis ansam præbebunt optatam, submisse ut solvamus, quæ debemus. Voci Synodus haud immorabimur, cum inter omnes constet, eandem græcæ originis esse, ac *conventum*, æque ac vox latina *concilium*, denotare. Nec est ut moneamus, hasce duas voces subinde promiscue sumi, ex monumentis quippe rerum, antiquitatumque ecclesiasticarum, ex Jure canonico, ejusdemque commentatoribus, aliisque variorum variis scriptis, eorundemque titulis, id satis superque liquet. Concilia apud Romanos nundinas & conventus, cumprimis a Senatu Romano convocatos, notabant, juxta receptum vero in ecclesia loquendi modum, nunc *conventus legitimos doctorum, aliorumque piorum hominum, a summis imperantibus convocatos, ad componendas controversias, corruptos vitæ mores emendandos, disciplinamque ecclesiasticam & stabiliendam, & collapsam restaurandam, & quæ reliqua.* Ejusmodi synodos, seu concilia permulta hinc inde instituta fuisse, commentarii rerum ecclesiasticarum nos condocent, collectionesque canonum, decretorumque, nec non conciliorum ipsorum, abunde testantur. Distingvuntur in œcumenica, seu universalia & particularia, hæcque vel in nationalia, vel provincialia, vel diœcesana seu episcopalia, id quod saltim ordinis ergo attingere voluimus, iisdem interim haud litem moturi, qui concilium, conventum solennem, synodum minus solennem, seu parvum congressum, & nunc ut plurimum, conventum episcopalem, seu diœcesanum, significare contendunt; vel ipsa experientia edocti, id lubentes concedimus. Concilia instituti, jurisque divini non esse, pariter damus, insimul vero, salva hypothesi nostra, iisdem assentimur

mur, qui Concilium Hierosolymitanum Act. XV. & verum & primum, sensu nimirum nunc recepto, omniumque subsequentium originem adserunt. Secus sentientes quidem habemus viros eruditione claros, auctoritate conspicuos; habemus vero & adserti hujus rationes satis prægnantes. Vitringa* conventui Hierosolymitano veros propriosque Synodi characteres deesse autumat, nisi synodum appellare placeat omnem conventum, in quo causa de religione decidatur: Apostolis superstitibus, Synodis proprie dictis, opus haud fuisse. Sigwardus Theol. Tubingensis perdoctus, ejusdem sententiæ est,** nec non celeberrimus JCtus Fleischerus***, quibus, cæteris missis, illustrem Just. Henning. Bœhmerum addimus*, quippe qui conventum Hierosolymitanum, pro *ordinaria* tantum Christianorum *coitione* habet, in qua *ex compromisso* de proposita quæstione actum: alioquin, juxta mentem ejus, prima Synodus Cap. VI. Actor. quærenda esset. Primam Synodorum originem, vir illustris potius judicia, per pactum mutuum, seu ex conventione apud quamlibet ecclesiam constituta, esse, judicat. Coalescentibus quippe, ex ratione vicinitatis, ecclesiis unius provinciæ, exinde enata putat concilia provincialia, quæque sequentibus panderint viam. Digna sunt Viri illustris verba, ut ad verbum apponantur: *In effectu, primitiva concilia ecclesiastica, si tria priora secula respexeris, fuerunt* tribunalia ecclesiastica, *in quibus delegati ab ecclesiis particularibus, cognoscebant de controversiis, emergentibus tum circa* fidem, *tum circa* disciplinam ecclesiasticam, *hoc effectu, ut decreta eorum vim* legum ecclesiasticarum conventionalium *haberent. Primitivæ enim ecclesiæ, a republica non tantum neglectæ, sed etiam fere oppressæ,* jure collegiorum *inter se agebant, & cum ad unitatem fidei essent convocatæ,*

 in

* In Hypotyp. Hist. S. p. 277. ** Contra Parei iren. L. I. c. V. p. 65. notante D. Dietr. Gotth. Eckardo, in der deutl. und gründl. Erkl. über J. Schilteri Inst. Jur. Can. L. I. Tit. II. §. III. p. 47. sq. qui & negantium rationes attulit. *** In der Einleit. zum geistl. Recht c. XXX. §. IV. * In emend. & addit. ad Jo. Schilteri Inst. J. C. L. I. Tit. IV. p. 19. In orig. præcip. mater. Jur. eccl. c. IV. p. 303. sqq. & in diss. Jur. eccl. antiqui, Diss. III. p. 218. sqq.

in unum etiam conveniebant maxime hæ, quas una conjunxerat provincia. Inde nata sunt concilia provincialia, *quæ non eodem modo ubivis indicta & directa, quandoque enim seniori inter episcopos, hic honor deferebatur: quandoque eminentiori, qui in metropoli provinciæ sedem habebat, id quod moribus ecclesiarum debetur, adeoque mutari potuit. Ubi Constantini imperio ecclesiæ in republica foverentur, merito hæc* judicia ecclesiastica *vel cessare, vel dependere debuere ab imperio principis, cui quævis judicia subfuerunt, quo factum, ut principes christiani* jure suo, & indictionem, & directionem *ad se traxerint, tam conciliorum* provincialium, *quam* generalium.* Perquam docte! quid? quod si vel dictorum judiciorum natales, conventui Hierosolymitano, adjudicandi? Annon apostoli, reliquique Hierosolymæ congregati, suo exemplo ecclesiis & sui, & insequentium temporum, egregie monstrarunt, qua ratione exortis controversiis, nec non ad constituenda, quæ bonum decentemque ordinem, & alia ecclesiæ commoda spectant, procedendum? Quodque hac via optime, si rite & recte omnia fiant, ecclesiæ consulendum? Jus circa sacra, sub auspiciis ecclesiæ novi fœderis, penes solas ecclesias fuisse, omni dubio caret, nulli nimirum aderant, bene observante celeb. Walchio**, imperantes, qui id exercerent. Ecclesiæ proinde habuerunt non tantum jura sua, ut vocantur, collegialia; verum ipsæmet & cuncta curarunt, quæ ad externam sacrorum dispositionem spectabant. Presbyteri collegium quasi constituebant, quod πρεσβυτέριον vocabatur, qua voce & Paulus 1. Tim. IV, 14. usus, quamque Theodorus, Chrysostomus, & Theophylactus per cœtum presbyterorum explicarunt, notante Vitringa.*** Ignatius persæpe presbyterii, veluti Collegii, mentionem facit, cum episcopis conjungit, & presbyterio æque ac episcopo obedire jubet*; sic & Tertullianus consessus ordinis ecclesiastici

* Vid. ej. Jus ecclesiasticum protestantium T. I. L. I. Tit. II. §. CXI. p. 173.
** In Hist. eccl. N. T. Sec. I. c. III. Sect. II. §. I. p. 431. *** De vetere Synagoga L. II. c. XII. p. 597. * Epist. ad Ephes. §. IV. & XX. p. 28. 40. Epist. ad Magnes. §. II. p. 46. vid. Jo. Casp. Sviceri thes. eccl. T. II. p. 824.

clesiastici meminit*, & Cornelius** e Sec. III. presbyterii, utque ex iis, quæ sequuntur, patet, per id consessum presbyterorum ecclesiæ Carthaginensis intelligit, Origenem ut taceamus, a quo presbyterium βȣλὴ ἐκκλησίας Θεȣ̃ adpellatum fuit.*** Res, quas presbyteria tractabant, nunc ad rectam formam, decentemque ordinem sacrorum: nunc ad ritus atque instituta: nunc ad controversias litesque dijudicandas & componendas: nunc ad disciplinam ecclesiasticam spectabant.* Optime hæcce omnia sese habent, bene interim & adsertum nostrum, idque vel ex hoc capite, quod concilia, quocunque veniant nomine, tribunalia ecclesiastica, presbyterorumque consessus, nos reducant ad Synodum Hierosolymitanam, reliquasque ab apostolis institutas, tanquam ad fontes, simulque probent, quod sint veri nominis synodi, quamvis ab imperante summo haud institutæ. Hierosolymitanam quod attinet, quam sensu recepto, primam non pauci dicunt, fontemque reliquarum omnium, pollicem iisdem premunt, vel eruditissimi JCtorum, Schilterus**, Hornius***, Thomasius*, Gerh. van Mastricht**, Eckardus***, aliique. Celeber. Buddeus*, ad impugnandam illustr. Bœhmeri sententiam, observat, nullam compromissi cujusdam, inter partes Antiochiæ disceptantes, acquiescendi in sententia ecclesiæ Hierosolymitanæ, Act. XV, 2. fieri mentionem; ipsam quippe rationem eos condocere potuisse, dubia circa doctrinam aut ritus orta, non rectius tolli posse, quam si viri pii, rerumque istarum periti, junctis viribus consiliisque, inter preces ad Deum fusas, cuncta recte ponderent, discutiantve. Nec obstare

* De exhortat. Castit. c. VII. p. 668. oper. vid. Justi Hen. Bœhmeri Diss. Jur. eccl. antiqu. p. 385. sqq. ** Apud Cyprianum Epist. XLVI. p. 60. *** notante Jo. Pearsonio vindic. Ignatian. P. I. c. II. &c. * Vid. Jo. Georg. Walchii H. E. N. T. Sec. II. c. III. §. IV. p. 768. ** In Inst. Jur. Can. *** In addit. ad Schilterum h. l. * In Cautel. cc. præcogn. Jurispr. eccl. c. XVIII. §. XXXIV. &c. vid. & obs. Hall. T. II. obs. VIII. p. 130. &c. ** In Hist. Jur. Can. n. 20. p. 14. *** l. c. p. 5. * In eccl. apostol. C. IV. §. I. p. 187.

obſtare, quod decretum concilii Hieroſolymitani, non per modum *imperii*, ſed *doctrinæ*, cum aliis eccleſiis, communicatum ſit, id quod Bœhmerus obtendit, neutiquam enim conciliis, per modum imperii agendi, poteſtatem tribui; Concilii autem Hieroſolymitani, ob deciſionem θεόπνευςον, præſentiamque apoſtolorum, majorem, quam aliorum, fuiſſe auctoritatem, neminem temere negaturum eſſe. Rationes haſce, ad infringendam Bœhmeri ſententiam, celeber. Jo. Georg. Pertſchio *, non adeo validas viſas eſſe, refert laudatus Walchius**, ſimulque mentem ſuam hac de re explicat. Nimirum, ſummum totius diſputationis momentum, in eo poſitum eſſe: *Qualis ratio, concilium definiendi adhiberi debeat, & unde iſta petenda ſit. Si quis dicat, concilium eſſe conventum, in quo fiat deliberatio decretumque, quomodo lites theologicæ, ſive ad credenda, ſive ad agenda pertineant, componi, vitæ morumque ratio, ubi corrupta eſt, emendari, & diſciplina eccleſiaſtica conſervari, aut inſtaurari debeant, eum in finem, ut -- ſaluti rei chriſtianæ rite proſpiciatur*, ſe non videre, cur conventus Hieroſolymitanus non pro vero Concilio reputandus. *Rationem concilium definiendi, non ex indole reliquarum Synodorum poſt apoſtolorum ætatem habitarum, ſed ex ipſa re ejusque indole, petendam eſſe.* Eadem mens & celeber. Chriſt. Eberh. Weismanno eſt, Theol. Tubingenſi: adducta quippe Vitringæ & Bœhmeri ſententia, ad Moshemium provocat, qui rem paulo altius repetierit examinaveritque in Inſt. Maj. pag. 261 - 267. & tandem hæcce addit: *Credi poteſt, totam hanc controverſiam apud cordatiores eſſe de nomine, ejusque deciſionem pendere ab eo, quid hic vel ille per Synodum intelligat?**** Hæcce de conciliis generatim, eorundemque origine, ſic jubente ordine, ediſſere placuit, nunc ſigillatim de Synodis ævi apoſtolici acturi. Iidem omnes, qui Concilium Hieroſolymitanum pro vero concilio haud agnoſcunt, ad quæſtionem: *Quotnam Synodi, tempore apoſtolorum, celebratæ fuerint?*

* In dem Versuch einer Kirchen-Hist. Sec. I. c. XIX. §. IV. p. 538. ** l. c. Sect. I. c. IV. §. XI. p. 560. ſq. *** In Introd. in memorabilia eccleſiaſtica Hiſt. Sacræ N. T. Sec. I. p. 110.

rint? citra omnes ambages respondent: *nullam;* eo faciliori bus e contrario sese præbentibus ecclesiæ Romanæ addictis, quippe quorum non pauci, & varia & multa Hierosolymæ & alibi habita concilia, numerare sciunt. Jo. Cabassutius tria, quæque Lucas Act. I, 15. Act. VI, 2. & Act. XV. recenseat: glossa ordinaria quatuor, alii quinque, decem alii, eaque omnia Hierosolymæ celebrata. Tria priora Act. I. VI. & VIII. descripta legi: quartum esse, in quo Apostoli Symbolum apostolicum condiderint, id quod & Cæsar Baronius in annal. ad an. Christi XLIV. adserere non dubitat: In quinto cultum divinum apostolos ordinasse, constitutionesque apostolicas composuisse, quæ a Clemente Romano deinde literis consignatæ: In sexto conciliorum apostolos terræ regiones inter sese distribuisse: Septimum habitum dicunt, beate defuncta virgine Maria, cui omnes apostoli, excepto Thoma, interfuerint, convocati ad hoc divinitus, ex omnibus terræ partibus, per quas jam tum longe lateque se dispersos viderint: Octavum institutum narrant ad componendas, de observantia legis, exortas controversias Act. XV. Nonum describi Act. XXI, 20. Decimum tandem spectasse electionem Simonis Cleophæ ad Episcopum Hierosolymitanum in locum Jacobi fratris Domini, quibus alii haud contenti, plura addunt. Eisengreinius * nempe enumeratis Miletanum, de quo Act. XX, 17. & Antiochenum, in quo apostoli canones apostolicos condiderint, alii adhuc duo, Antiochii ab Ignatio instituta, & præter hæcce aliud, auctore Franc. Turriano **, in quo novem canones, ab eodem in lucem emissi, ab apostolis conditi sint, quem & Cæsar Baronius, Severinus Binius & Phil. Labbeus secuti, explosi vero vel ab ipso Natali Alexandro ***, aliisque ecclesiæ suæ defensoribus. Eosdem ut taceamus, qui vel conventum Mariæ, Elisabethæ & Zachariæ Luc. I, 39. sqq. pro Synodo venditare

B

* In centenar. primo Magdeburgensibus oppos. P. II. ** Lib. I. contra Centur. Magdeb. c. XXV. *** In hist. eccl. Sec. I. Diss. XX. p. 212.

ditare non erubuere, Cæsar Baronius* *primum* novi fœderis *concilium* Matth. XVI, 14. sqq. Marc. VIII, 27. & Luc. IX, 9. relatum putat, in quo duo decreta facta dicit, alterum auctore Petro, super orthodoxa fide, alterum auctore Christo, super fundamento ecclesiæ, Petro nimirum, ejusdemque Monarchia; refutatus vero ab Isaaco Casaubono **, Herm. Conringio ***, Rich. Montacutio *, aliisque. Cœlestinus de Sfondrati, Cardinalis, agmen tandem claudat, qui de concilio quodam ab apostolis celebrato somniat, in quo immaculatam virginis Mariæ conceptionem promulgarint **, castigatus ob id a doctissimo THOMA ITTIGIO ***, qui inter cætera, opposuit: *Cur non responderunt*, (pontifices Romani, qui se apostolicæ sedis successores esse jactant,) *jam pridem, apostolos in concilio congregatos, hanc controversiam decidisse, & decretum de immaculata Mariæ conceptione promulgasse.* Infra de uno & altero a Romanensibus ficto concilio, monenda monebimus, missis reliquis, quippe sponte sua corruentibus. Nobis animus non est Synodos ævi apostolici multiplicare, interim revera tales habitas fuisse, negare nec audemus, nec possumus. Est vero nobis Synodus ævi apostolici, *conventus solennis vel omnium, vel præcipuorum apostolorum, presbyterorum & cœtus Christum confitentium, ad minimum potioris ejusdem partis, in quo pie & rite res & causæ, & ad plantandam, & ad stabiliendam eo felicius ecclesiam, spectantes, tractatæ & decisæ sunt.* Nos iisdem adstipulari, qui pro Concilio Hierosolymitano, ut vero, pugnant, supra indicavimus. Controversia, quæ componenda, erat maximi momenti, & ipsum fidei fundamentum attingebat: faciebat & ad tranquillandam & propagandam ecclesiam: celebrabatur a Viris Spiritu S. repletis,

* In annal. ad an. Chr. XXXIII. n. 16. & ad an. LVIII. n. 19. ** Exercit. XV. num. IX. *** Exercit. de Concil. & circa ea summæ potest. auctorit. th. V. * De originibus eccles. T. I. P. II. p. 159. seqq. ** Tr. innocentia vindicata. *** In Selectis Cap. H. E. Sec. I. cap. XI. §. V. p. 75. Vid. Budd. l. c. p. 88. seqq. Walchius l. c. p. 556. M. Jo. Georg. Heinsii kurtze Fragen aus der Kirchen-Hist. N. T. Sec. I. n. XI. p. 119. Das allgemeine grosse Univ. Lexicon sub voce Concilium.

pletis, luceque divina collustratis, tamque felici successu, reliqua ut non repetamus. Cur non pro vera, imo illustri Synodo, qua nulla illustrior, reputanda? Quis dubitet, & ecclesias posteriores non subinde, præprimis ortis litibus, & in ordinandis, ad ecclesiæ emolumentum facientibus, ad eandem respexisse, omnia approbasse, imitatosve esse? Juxta mentem illustris Bœhmeri, quam supra exposuimus, prima Synodus Cap. VI. Actor. quærenda foret, si conventus apostolorum & reliquorum Act. XV. rationem veri concilii haberet. Eandem vero rationem veri concilii habere, probatum dedimus, proinde ex concessis, & *conventus apostolorum* Act. VI. est *Synodus vera,* quamvis non *prima,* ætatis scilicet apostolicæ, quippe *quam, conventum* apostolorum, & qui cum ipsis, Actor. I, 15. seqq. *a Luca enarratum,* dicimus, confitemur & adserimus. Non possumus non & duos Actor. I. & VI. descriptos conventus, æque ac conventum Actor. XV. persolennes notatuque dignissimas prædicare Synodos. Ille pro fine, inter cætera, rem maxime arduam habebat, electionem nempe Apostoli in locum proditoris, perditissimi mortalium, hic constitutionem septem diaconorum, præsentibus in illo apostolis, & ad centum & viginti discipulis, aliisque Christo deditis. Omnia inter preces pias peragebantur, & prosperante Numine benignissimo cœpta, omnia ex voto, & in ecclesiæ incrementum, succedebant. Cur quæso adeo solennes, tam felici successu finitos, tantique insuper in ecclesiam redundantis commodi conventus, non liceat Synodos appellare? Siccine non re ipsa Synodi fuere, eæque solennes? Sit ita, quod definitio conciliorum longe subsequentium temporum, ad conventus dictos, imo Hierosolymitanum ipsum non quadret, quid inde? Valetne conclusio ab ejusmodi Synodis, ad Synodos ævi apostolici? Quis adeo inverso ordine concludere velit. Quot quæso Synodos celebratas scimus, ad quas data definitio vel plane non, vel non ex toto quadrat. Illustris Bœhmerus hancce tradit definitio-

 nem:*

nem: * *Concilia ſunt comitia ſacra regni eccleſiaſtici, collecta ex patribus & capitibus eccleſiæ ad decidendas cauſas publicas eccleſiaſticas, ac regnum eccleſiaſticum ſtabiliendum*: num juxta hanc, Synodus Hieroſolymitana non vera Synodus dicenda, & cur non juxta eandem & reliquæ? Quæ Viri celeberrimi, Walchius & Weismannus, occaſione Synodi Hieroſolymitanæ dixere, ea & ratione duarum reliquarum dicta volumus, cum addito: ut tempora, & ipſa eccleſiæ facies, ſic & Synodi eccleſiæ non una eademque ulna dimetiendæ, multo minus conventus apoſtolici ſolennes, quos longe ultra limites & terminos ſubſequentium temporum & Synodorum & ipſarum definitionum poſitos videmus. Quodſi permulti eruditorum vel maximi nominis, Concilium Hieroſolymitanum ſaltem pro primo & unico ætatis apoſtolicæ habent, nulla certe inter eosdem & nos revera datur pugna, tria cum adſerimus concilia. Concilium quippe ſumunt ſenſu, quo nunc ſumitur, nos vero ſenſu ævo apoſtolico conveniente, & vel exinde etiam, ut omne diſceptationis filum, una quaſi manu, abrumpatur, a nobis inſigniuntur: Synodi ævi apoſtolici.

De tribus proinde Synodis ævi apoſtolici pauca commentaturi erimus, ſervaturi inſimul eundem, quem Lucas ſervavit, ordinem. Prima Synodus, ut ſcriptor ſacer Cap. I. Act. v. 15. docet, ab apoſtolis aliisque eccleſiæ primitiis, Hieroſolymæ habita eſt, poſt maxime ſolennem adſcenſionem Domini in cœlos, & non longe ante miraculoſam Spiritus S. effuſionem. Reverſi quippe de monte oliveti Hieroſolymam, aſcenderunt εἰς τὸ ὑπερῷον, in cœnaculum, ſeu, ut Heſychius & Julius Pollux interpretantur, ἀνώγαιον οἴκημα, ſuperius domus habitaculum **, in ſuperiorem domus partem, ut Varro & Vitruvius hanc vocem explicant. ***

Judæi

* l. c. T. V. c. V. Tit. XVII. p. 73. ** Vid. D. Jo. Tob. Majoris Exegematum locorum difficil. πραξαποσόλων P. I. ad C. I. *** Ed. Leigh Crit. S. V. T. p. 695.

Judæi ſua conclavia, in ſuperiori domus parte habebant, notante Caveo, ubi preces ſuas, ab hominibus & terrenis ſecreti, peragebant, & ejusmodi conclavia עליות vocabantur, & ſine dubio reſpexit Salvator optimus ad eadem Matth. VI. v. 6. Danielem divum vatem tale conclave ad preces cultumque Deo ſuo debitum, in ſuperiori domicilii parte poſſediſſe, ex ejusdem prophetiæ Cap. VI, 10. patet: ubi & notandum, quod ſeptuaginta interpretes vocem Chaldaicam עליתה per ὑπερῷα verterint.* Ejusmodi ὑπερῷον, conclave ſuperius, locus erat, ubi Paulus, Troade commorans, ſermonem in mediam usque noctem producebat, & Eytychus ſomno abreptus, de tertia contignatione decidebat Act. XX, 9. Caveo l. c. veriſimile videtur τὸ ὑπερῷον, quo apoſtoli reverſi ſeſe contulerint, conclave fuiſſe, ubi Dominus ultima vice agnum paſchalem, cum diſcipulis, comederit. In cujusnam vero ædibus conclave iſtud fuerit, tacente ſcriptore ſacro, certi quid dici haud poteſt. Referente Nicephoro**, cœtum, Chriſtum confitentem, in domo divi Johannis conveniſſe, ibique ſacra celebraſſe, quæ ſententia omnino ſe majori probabilitate commendat, quam illorum, qui templum, locum autumant, quo ſeſe redeuntes contulerint, inter quos & Ludov. de Dieu, motus quippe commatibus 52. & 53. Cap. XXIV. Lucæ. Templum ſcilicet in ambitu ſuo plura ὑπερῷα ſeu cœnacula & conclavia habuiſſe, quæ non tantum templariis & ædilibus, ſacerdotibus & Levitis, ſed etiam religioſorum hominum conventui Jer. XXXVI, 10. Luc. II, 37. inſervierint.*** Omnino difficile creditu, diſcipulos Domini, reliquosque eidem adhærentes, pro rerum ſtatu, in quo tunc temporis verſabantur, periculi pleniſſimo, & ante effuſionem mirandorum Spiritus donorum, quam Act. II, 2. in iisdem ædibus factam legimus, in quodam templi conclavi, publicam fidei profeſſionem edidiſſe, & coadjutorem elegiſſe. Non eſt, ut hisce

* Antiquit. Apoſtol. in Vita Petri C. VII. pag. 251. ** Hiſtor. eccleſ. l. II. c. I. p. 131. *** Vid. D. J. T. Major l. c. ad Cap. I. v. 13. 14.

hisce diutius immoremur, nobis sufficit, quod ducibus apostolis, flos & corona ecclesiæ tunc existentis, statim post solennem Domini adscensionem, in domo quadam, & quod maxime probabile, in ædibus Johannis, convenerit, idque gravissimis inducta rationibus. Dominus quippe, iisdem omnibus dilectissimus, apostolos universi orbis doctores, solenni vocatione & mandato, constituerat Matth. XXVIII, 19. promissionemque de missione Spiritus Sancti miraculosa, ad eo felicius obeundum sibi demandatum adeo arduum officium dederat, insimulque, ut ante subsecutam promissorum impletionem, de Hierosolymæ terminis haud recederent, gravissime injunxerat. Res tanti momenti proinde animis congregatorum obversatas fuisse, vel preces assiduæ, quibus omnes in universum vacabant, satis superque testantur. Quibus accedebat grave negotium, constituendi, in locum detestandi proditoris, apostolum, quod ante omnia expediendum, sui officii, vel maxime necessarium, ducebant.

Servator optimus e numero discipulorum eligebat duodecim, quos apostolos vocabat Luc. VI, 13. sqq. Marc. III, 13. 14. Vocem ἀπόστολος apud scriptores veteres de rebus, actionibus & personis usurpatam esse Frid. Spanhemius *, Guil. Caveus ** aliique, qui hac de voce erudite commentati sunt, nos condocent. Proprie nuntium seu legatum denotat, vocibusque ebræis מלאך, שלוח vel שליח respondet. Christus ipse Angelus fœderis Mal. III, 1. & apostolus Ebr. III, 1. dicitur, sensu quippe eminentissimo, eminentiori duodecim selecti discipuli, apostoli dicebantur, quibus & deinceps Paulus annumerabatur. Quodsi Titus 1 Cor. VIII, 23. & Epaphroditus Phil. II, 25. &, ut quibusdam placet, Andronicus & Junias Rom. XVI, 7. nec non septuaginta discipuli, apud græcos & latinos patres sæpenumero apostoli salutantur, id fit sensu latiori. *** Guil.

Ca-

* In Diss. de apostol. duodecim & apostolatu stricte sic dicto. ** In antiquit. apostol. in præf. de off. apostol. p. 152. sqq. *** Celeb. Buddeus eccl. apostol. Cap. VI. §. III. p. 639. sqq. de hisce plura dat, apostolosque, in *primi & secundi ordinis* apostolos, bene distinguit.

Caveus l. c. sibi persuasum habet, Dominum in eligendis & ordinandis apostolis, suo modo respexisse ad certam consuetudinem ecclesiæ Judaicæ, præprimis ad legatos eorundem seu nuntios, qui & apostoli dicti fuerint. Quamvis sententiam hancce solidam haud judicemus, certo persuasi, indolem & formam ministerii N. T. ex ministerio V. T. peti non posse, interim longe tolerabiliorem, quam illorum, censemus, qui Christum philosophos gentiles hac in re imitatum garriunt. Cur duodecim Dominus, non plures aut pauciores constituerit apostolos, variæ a variis redduntur rationes, quas apud laudatum Caveum *, ut & Buddeum **, aliosque legere licet. Servatorem optimum ad duodecim tribus populi Israëlitici, simulque ad duodecim patriarchas, ex quibus Israëlitæ originem duxere, respexisse, maxime probabile dictis, aliisque eruditione claris viris videtur. *Quemadmodum enim populus iste Israëliticus*, ipsissima celeb. Buddei verba sunt, *imaginem exhibuit ecclesiæ novi testamenti, seu regni istius spiritualis, quod Deus per orbem universum erecturus erat; ita & duodecim apostoli respondere debebant duodecim patriarchis, utpote qui non minus conditores, & veluti patres futuri erant Israëlitis secundum spiritum, uti patriarchæ, seu filii Jacob, erant Israëlis secundum carnem.* Innititur insuper verbis Servatoris: Apostolos sessuros in duodecim tribunalibus, judicantes duodecim tribus Israëlitarum Matth. XIX, 28. Duodecim Apostolis post adscensum Domini gloriosissimum, & Paulum additum, eundemque modo peculiari & mirando, ab ipso Domino glorificato vocatum esse, nec ulla in re inferiorem vel summis apostolis fuisse, ex Actor. IX, 15. XXVI, 16. 17. 2 Cor. XI, 5. Gal. I, 1. 12. 1 Cor. IX, 1. XI, 22. satis constat. Elegerat vero Servator optimus, non alia de causa, certum apostolorum numerum, quam ut ab istis semper comitatus, eosdem instrueret, aptosque redderet, ad grave, quod ipsis demandandum erat officium, ipsi vero testes occulati essent omnium quæ fecerat quæque perpessus, cumprimis ejusdem resurrectio-

* l. c. p. 156. sq. ** Ecclesi. apostol. C. VI. §. III. p. 665. sqq.

ſurrectionis Actor. I, 22. II, 32. III, 15. X, 39 - 41. E numero apoſtolorum, ceu univerſalium excellentiſſimorumque eccleſiæ miniſtrorum, teſtium oculatorum, organorumque ſelectiſſimorum, per quæ benigniſſimum in cœlis Numen, novi fœderis eccleſiam & fundare, & propagare per univerſum orbem decreverat, erat & Judas Iſcharioth, quippe qui cûm iisdem τὸν κλῆρον * τῆς διακονίας, ſortem ſeu munus miniſterii ſortitus erat; inſana vero nummorum libidine correptus, excœcatusque tandem miſerrime, ductu diaboli, ſeductoris callidisſimi, ἄγος τὸ πάντων ἀνοσιώτατον, ut Origenes effatur **, ſcelus inter omnia atrociſſimum committebat, & Servatorem totius generis humani, proin & ſui ipſius, poſt tot & tantas promiſſiones a Deo factas, piorumque adeo anxiam expectationem, vere in carne exhibitum, Dominum ac Patrem integerrime amantem, & providiſſimum, inſuperque Præceptorem longe fideliſſimum, pro triginta argenteis, pretio ſatis vili, hoſtibus eidem infenſisſimis, Judæis nimirum, vendere, ſibi religioni haud ducebat. Evigilante vero, eumque cru-

* Κλῆρος proprie ſortem notat, de qua in ſequentibus; deinde & id, quod per ſortem, aut quocunque modo, cuidam obtingit & attribuitur, portionem, hæreditatem, peculium, munus, officium. Vid. Georg. Raphelii Annotat. in Nov. Teſt. ex Polybio &c. p. 296. Eduardi Leigh Crit. Sacr. in N. T. p, 397. qui plures hujus vocis ſignificationes adduxit. Unde & nomen clerus, clericus, quod apud Romanenſes ordo eccleſiaſticus ſuum vendicat, reliquos omnes, laicos vocitans, inſuperque diſcrimen vel ex ipſo Jure divino derivat. vid. Cæſ. Baronii Annal. ad an. XLIV. n. 74. & Petrus de Marca in Diſſ. de diſcrimine clericorum & laicorum ex jure divino. Diſtinctionem hancce, æque ac diſcrimen, in S. literis haud fundatum eſſe, ſatis a noſtratibus oſtenſum eſt; ſpeciatim a Chriſtiano Kortholto in disquiſitionibus Anti-Baronianis Disquiſ. V. nec non a Buddeo eccleſ. apoſtol. Cap. VI. p. 608. ſeqq. Juxta ſacras literas datur κλῆρος ἐκκλησίας 1 Petr. V, 3. qui eſt univerſa Chriſti eccleſia, ipſi tanquam peculium a Patre datum, & κλῆρος διακονίας Actor. I, 17. 25. munus miniſterii, ordoque peculiaris hominum, qui tanquam miniſtri ſingulares Chriſto dati ſunt, quique etiam munus miniſterii tanquam peculium acceperunt, notante longe celeberrimo V. E. Lœſchero, in Theol. Paſtorali, Conſortio Theologico olim tradita.

** Contra Celſum Lib. IV. p. 175.

crudelissime tandem excruciante conscientia, sese subducebat, vitamque laqueo finiens, præcepsque factus, medius crepabat, ac intestina effundebat, licet alii aliter de morte ejus disputent. * Munus ergo ministerii apostolici, quod Judas, æque ac undecim reliqui, immediate a Domino obtinuerat, quoque seipsum scelere nefandissimo, mortisque genere & turpissimo & horrendo, privaverat, in alium e septuaginta discipulis, testem oculatum ejusdem resurrectionis, conferre, inducti electione Domini sapientissima, vaticinioque Davidis illustri, tantæ necessitatis ducebant, ut in Synodo hacce prima, eaque solenni, post adscensionem Domini, in id omnem animi curam intenderent, tandemque Petrus, in medium procedens, sermonem institueret, quem non possumus non & moventem & solidam & piam, prædicare. Romanenses exinde, quod Petrus inter *fratres*, nominatim *centum* & *viginti*, surrexerit, sermonemque primus fecerit, satis ridicule, probare adnituntur, ejusdem *primatum*, & *prærogativam*, eamque non *ordinis* vel *dignitatis*, sed *potestatis jurisdictionalis*, ut loqui amant, qua quippe animatus, Syn-

C odum

* Jo. Gronovius, Criticus olim Lugduni Batavorum celeber, communem interpretum sententiam peculiari Diss. 1683. contra adserentes, Judam, ob immensos conscientiæ cruciatus, se præcipitem dedisse, defendens, impugnabatur a Joachimo Fellero, Bynæo, aliisque, quos vero refutabat eadem, 1702. recusa & aucta, insistens sententiæ: Judæ suspensum cadaver in spissa saxa projectum, & exinde ruptum, intestina effudisse. Adversarium nanciscebatur & Jac. Perizonium collegam, adserentem, Judam desperatione adductum, se præcipitem dedisse, cui 1703. publice, & hicce eidem hoc eodem anno respondebat. vid. die Unsch. Nachr. T. III. p. 661. & T. IV. p. 561. Plurimis Is. Casauboni conciliatio Matthæi & Lucæ placet. Judam nimirum se suspendisse, rupto vero laqueo, pronum decidisse &c; aliter sentiente Lud. de Dieu, Heinsio, & qui cum iisdem faciunt, non laqueo scilicet, sed morbo ἀγχόνη dicto, Judam vitam finisse. Interprete Jo. Buxtorfio, συνάγχη squinantia correptus ac suffocatus fuit, concidensque, ex vi interclusi spiritus, medius crepuit, visceraque ejus effusa sunt. Quibus Erasmi adnot. ad vocem πρηνὴς addimus: Proprie non significat suspensum, sed pronum ac præcipitem, propendentem in caput: exprimit habitum ac gestum laqueo præfocati, qui est vultus in terram dejectus. vid. Ed. Leigh, Crit. S. p. 567.

odum indixerit.* Hinc & Sanctio *concilii præses*, Lintrensi *Apostolorum princeps*, Cornelio *primas & prælatus*, Salmeroni & aliis *Caput* & *Coriphæus*, Lorino *Vicarius* Christi** aliis aliter audit. Ea, quæ Petrus publice proposuit, congregatorum fusæ ad Deum, cordium scrutatorem, preces, discipuli duo, ad optionem in medium constituti, sors, quam missam legimus, impositio manuum & quæ reliqua, convincere quemlibet sanæ mentis valent, quam egregie defensores primatus Petri, ejusdemque successorum, quos crepant, errent, probando, quod nunquam exinde probari potest. Adductis rationibus prægnantissimis, tandem Orator sacer v. 21. 22. concludebat: Δεῖ οὖν, oportet igitur, ut ex viris, qui nobiscum versati sunt toto tempore, - - unus quispiam constituatur, qui sit una nobiscum testis resurrectionis ejus. Vixque sermonem ad finem perduxerat, sistebant duos, Josephum, qui vocabatur Barsabas, cognomine Justus, & Matthiam, & pietate & experientia rerum a Christo gestarum, eidemque factarum insignes.*** Exinde, quod eo ipso, ac Petrus sermonis finem fecerat, duos statuerint, tuto colligimus, Petrum non primum, & tunc demum incidisse in electionem apostoli, loco Judæ, quin potius totum congregatorum cœtum hucusque, inter preces indefessas ardentissimasque, omni cura ac deliberatione de eadem cogitasse, & hosce duos præ aliis, dignos tanti muneris, æstimasse. Cumque difficile, ut clarissimus Brentius loquitur, humano judicio alterum alteri præponere, discipuli electionem in manum & judicium Dei reponebant, fusis ad eundem hisce precibus piis: Σὺ κύριε, καρδιογνῶστα πάντων, ἀνάδειξον ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα ὃν ἐξελέξω &c. Preces excipiebat electio ipsa, eo dignior, quæ perpendatur, cum facta per sortem v. 26. legatur. Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν,

καὶ

* Bellarminus Lib. I. de pontif. Rom. c. XXII. ** notante D. Majore c. l.
*** Satis lepida sunt, quæ Estius in annot. in Act. Apost. p. 1102. ad verba: *Et statuerunt duos*, annotavit: Augustinus L. I. contra Felicem Manichæum C. IV. legit: *Et statuit duos*, *videlicet* Petrus. *Quæ lectio facit ad* autoritatem Petri.

καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν &c. Quid per ſortem intelligatur, non ſatis inter eruditos convenit. Dionyſium Areopagitam, per ſortem intelligere *divinum quoddam munus, quod illi pontificum choro, eum, qui divino judicio, delectuque eſſet renunciatus, indicaret, id eſt oſtenſionem aliquam divinitus factam,* Eſtius auctor eſt *, quique & refert, *alios dicere, divinitus radium lucis ſuper Matthiam apparuiſſe* **, quæ vero iisdem relinquimus, qui fabulis delectantur. Phil. Jac. Hartmannus *** per *κλήρους, ſuffragia* intellecta vult, per metonymiam ſigni pro re ſignata, ſenſumque eſſe: *Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν, & dederunt ſigna ſive calculos, quibus centum & viginti iſti ſuffragia ſua declararent, καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν, & cecidit ſuffragium ſuper Matthiam, καὶ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων, & communibus calculis adlectus eſt cum undecim apoſtolis.* * Verum nulla adeſt neceſſitas, ut a claris Lucæ verbis recedamus; iis potius adſentimur, qui ſortem revera miſſam adſerunt. Sortes apud antiquiſſimas gentes, & ipſam Ebræam, uſitatas fuiſſe, non eſt, ut multis probemus. Hugo Grotius electionem ſacerdotum per ſortes, vel pro priſco Noachidarum inſtituto habere videtur. ** Fiebant vel talis & calculis, vel teſſeris, vel fabis, conjectis vel in urnam vel ſitulam, vel galeam. Scribebatur quoque nomen in ſchedula, & mittebatur in ſinum Prov. XVI, 33. Adhibebantur autem vel in eligendo ad honores: ſic Athenienſibus *ἀρχαὶ κληρωτοί*; vel diſtribuendo hæreditates; vel in damnando, ubi ſortiebantur calculis atris & albis &c. *** Sortibus concurſum quendam divinum adeſſe, easdemque per angelos, juxta voluntatem divinam dirigi, antiquis creditum fuit. Auguſtino eandem

 mentem

* l. c. allegat nimirum, Cap. V. Hierarch. eccleſ. P. III. quod ſcriptum vero ut & reliqua Dionyſio tributa, inter ſuppoſititia Sec. IV. aut V. refertur. ** Conf. & Natal. Alexand. Hiſt. eccl. Sec. I. c. II. T. I. p. 8. *** In originibus ſocietatis chriſtianæ, ſeu de rebus geſtis chriſtianorum ſub apoſtolis c. VIII. p 129. * vid. D Jo. Fr. Buddei Inſtit. Theol. Dogm. L. V. c. IV. p. 1321. ** de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra c. X. §. V. p. 144. *** Thomæ Goodwini Moſes & Aaron, cum notis Reitzii, L. I. c. V. § XXII. p. 48. not. (39.)

mentem fuisse, verba ejus testantur: *Sors non aliquid malum est, sed res, & in dubitatione humana divinam indicans voluntatem,* quod sine dubio, addit illustr. Bœhmerus* *de religione sortis, Israëlitis familiari, & coram tabernaculo & summo sacerdote peragenda, accipiendum est.*** Variæ numerantur sortium species, nimirum 1) *divisoriæ*, 2) *suffragatoriæ*, de quibus plene Dn. de Ludewig de sorte suffragatoria: 3) *consultatoriæ*, in sacris sæpius obviæ, Jud. VII, 18. 1 Sam. XIV, 38. seqq. 4) *divinatoriæ*, quæ illicitæ. *** Olim etiam sortes *Virgilianæ* & *Homericæ* inter *infideles*, inter *fideles* vero *sortes sanctorum* pro divinatione futurorum eventuum adhibitæ sunt*. Brentium nostrum** allegare placet, ad sortem super Matthiam cadentem, cum revertimur, quippe qui bene, quæ objici possunt, removit, totumque actum egregie illustravit. *Quid hic novi inter discipulos videmus? Nonne lex in Devt. c. XVIII. dicit: non sit inter vos sortilegus, qui per sortes voluntatem Dei ac futura pronunciat?* Hancce objectionem sibi ipsimet movet, & ad motam eo ipso respondet: *Sed absit, ut discipulos Christi hoc loco impietatis arguamus. Quod enim fecerunt, magna pietate fecerunt. Duplex enim,* pergit, *sortilegii genus est, alterum, quo nulla Dei ordinatione & revelatione, sed mera temeritate & impia superstitione, futura aut occulta inquiruntur, ut si quis, e.g sortibus exploraret, num post annum victurus esset, aut quid ageret Cæsar in Hispania &c. Nam quod & Josua, & Saul & nautæ Jonam vectantes occulta peccata sortibus scrutati sunt, ac certo deprehenderunt - - probat quidem ingentem severitatem iræ Dei, quæ peccata, quamvis occulta, revelat & peccatorem pudefacit, non autem probat, hoc sortiendi genus cuivis pro sua libidine licitum esse. Sunt enim hæc sortiendi exempla personalia facta, quæ nec personam transgrediuntur, nec in exemplum trahi debent. - - - Sed nobis proponuntur,*

* In Jure eccles. protest. L. V. Tit. XXI. §. II. p. 410. ** vid. Leidekkerus de republ. Hebræorum L. VI. c. 1. *** vid. Bœhmerus l. c. adductique auctores e. g. Mart. Mauritius de Sortitione veterum, Ebræorum imprimis, Jac. Gutherius de veter. Jure Pontif. L. IV. c. II. sq. p. 418. qui antiquit. Rom. circa sortes tradit. * Bœhmerus l. c. p. 411. Linkius de sortibus sanctorum, Obs. Hallens. Obs. XIII. T. IV. ** Tom. VII. oper. Hom. V. in Cap. I. Act. p. 35. sq.

nuntur, - - ut discamus timorem Dei, agnoscentes Dominum Deum nostrum, tam severum esse occultorum peccatorum judicem, ut ea, quoquo modo possit, toti orbi prodat &c. Eodem etiam redit illustr. Bœhmeri sententia * *Etiam apostolos*, ait, *hac religione usos fuisse, clarescit ex* Actor. I, 24 - 26. *Unde tamen non* regula, *sed magis* jus singulare, *seu exceptio a regula formari debet, ex judicio Hieronymi in c. II. ibid.* provocans insimul ad Predam, qui Cap. IV. ib. concludat: *Non exemplo Matthiæ, vel quod Jonas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum, ut Hieronymus ait, communem legem facere non possunt. Si qui tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus, exemplo apostolorum consulendum, videant, hoc ipsos apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse. Alterum sortiendi genus est,* pergit doctissimus Brentius, *quod publica regionum consuetudine in dividendis hæreditatibus, in creandis magistratibus, & in aliis quibusdam civilibus rebus usurpari solet. Et hoc genus non solum licitum est, sed etiam & ordinatio Dei. Etenim si pondus & statera judicium Domini sunt, & ipse est auctor ponderum, quemadmodum Salomon dicit, qui fieret, quod & civilis illa sors (quando sit civilis ordinatio, ad retinendam publicam tranquillitatem instituta) non esset judicium Domini? - -* De hoc sortium genere ait scriptura: *In sinum dejiciuntur sortes, at a Deo judicium eorum proficiscitur. Contendentes sors componit, & inter fratres dijudicat. Sic tribubus Israël dividitur terra Canaan per sortes, & Spiritus Sanctus vocat eam divisionem Domini. Sic sors mittitur Lev. XVI. super duos hircos, & sors, quæ ceciderit super alterum hircum immolandum, ea Domino cecidisse dicitur. Sic & hoc loco sors cadit super Matthiam. Non autem existimandum est, ipsum ideo minoris auctoritatis, & non a Christo electum Apostolum esse, quod sit sorte electus, sed quia sors est judicium Dei, ideo sentiendum est, Matthiam ab ipso electum, nec minoris autoritatis esse, quam alium quendam apostolum, voce Christi adhuc in terris agentis vocatum.* Electionem & vocationem Matthiæ, æque ac alius apostolorum, *immediatam* & nos adserimus, quippe quæ per sortem non tam *facta*, quam

* l. c. §. II. p. 410.

quam *declarata*, id quod & cœtus pius agnovit, Matthiamque, communibus ſuffragiis & absque omni mora, Apoſtolis annumeravit. Eundem e numero ſeptuaginta diſcipulorum ut & Joſephum fuiſſe, e v. 21. & 22. Actor. I. colligere licet, queis vero immorari haud neceſſe ducimus, electionem ipſam cum B. Brentio l. c. potius admirantes: *Duo proponuntur ab apoſtolis in conſpectum Dei, qui ambo ſatis honeſti & pii erant, alter autem eorum nomine Joſeph, tanta pietate coram hominibus ſplendet, ut & hinc cognomen Juſti ſortitus ſit. Hunc tamen negligit Dominus in mittenda ſorte, & efficit, ut ſors cadat ſuper Matthiam, virum quidem honeſtum, attamen non tanta honeſtatis ſpecie coram hominibus præditum, quanta Joſeph: atque ita Matthias, qui hominum fama Joſepho poſtponitur, Judicio Dei præponitur. Hoc igitur exemplo diſcamus primum timorem Dei. Nemo criſtas erigat, aliosque faſtidiat, qui magna virtutum fama & auctoritate apud homines pollet, non enim ideo Deo gratus eſt &c. Deinde confirmanda eſt & hoc exemplo fides noſtra in humilitate & contemtu hujus ſeculi. Animum ne deſpondeas, ſi te hic mundus faſtidit, tibique inſultat. Ab hominibus, qui contemnitur, non etiam a Deo contemnitur, ſed potius quem homines deſpiciunt, eum Deus reſpicit &c.* Ex adductis claret, quod hicce conventus dignus ſit, qui ſalutetur prima ævi apoſtolici Synodus.

Synodus ſecunda a duodecim Apoſtolis, nunc Spiritu promiſſo repletis, referente Luca Cap. VI, 1-6. Act. convocata eſt, occaſione γογγυσμȣ murmurationis græcanicorum adverſus Hebræos, ac ſi viduæ eorundem, in quotidiano miniſterio prætermitterentur. Omnia tunc temporis apoſtoli, & in univerſum omnes, qui Chriſto nomen dederant, communia habebant, & cuilibet quotidie, ad victum & amictum neceſſaria, cura apoſtolorum, porrigebantur. Creſcente vero cœtu fidelium, creſcebat legatis Domini & labor & moleſtia, quamque illis præ aliis, ἑλληνιςαὶ, ſeu græcanici, cauſabant. Quinam iſti fuerint, varie ab eruditis diſputatum,

ſputatum, & varias ſententias, apud Jo. Alb. Fabricium *, & Jo. Chr. Wolffium **, locis infra allegatis, legere eſt. Calvinus, Druſius, Scaliger, Heinſius, Grotius, l'Empereur, Lud. de Dieu, Rich. Simon, aliique, per Helleniſtas Judæos intelligunt, per Græciam & Aſiam, aliasque provincias diſperſos, qui græce locuti & græco codice uſi fuerint, ita tamen, ut dialectum peculiarem, e verbis græcis & phraſi Ebraica concretam habuerint, quæ Helleniſtica dicta, olim in Aſia & toto oriente uſitatiſſima. *** Hisce vero, præprimis Dan. Heinſio ſeſe oppoſuit Claudius Salmaſius *, quemque ſecutus Jo. Crojus ** & Matthæus Cotterius ***, aliique *, contendens: Helleniſtas græcos origine, ſermone & moribus eſſe, aſt Judæos religione, proſelytos nimirum, eorumque filios ac nepotes, omnes incolatu ſaltem, Hieroſolymitanos, hoc eſt, de proſelytis græce loquentibus, chriſtianos. Juxta ſæpe laudatum Brentium Helleniſtæ fuere, vel gentes, primum ad Judaismum converſæ, ſeu proſelyti, qui deinde ad caſtra chriſtianorum tranſierint, vel Judæi in Græcia quidem nati, ſed ad Hieruſalem profecti, ibidemque, aut religionis, aut ſtudii gratia habitantes.** Plurimi hodiernorum eruditorum iisdem accedunt, qui per eosdem Judæos hinc inde tunc diſperſos, ac græce loquentes, intelligunt, ea tamen ratione, ut hypotheſin de lingua Helleniſtica, tanquam peculiari dialecto, ſuam non faciant. Confirmat hancce ſententiam

* Biblioth. græc. L. IV. Cap. V. p. 226. ** In curis philol. & critic. ad h. l. p. 1085. *** vid. Jo. Gerh. Harmon. Evangeliſt. Chemnitio-Lyſerianæ P. I. p. 461. Budd. Inſt. Th. Dogm. Lib. I. c. II. §. XI. p. 105. Dan. Heinſii Exercit. de lingua Helleniſtica & Helleniſtis &c. * In commentar. de lingua Helleniſt. in funere Helleniſtico, ſ. confutat. Exercit. de Helleniſtis & lingua Helleniſtica, in oſſilegio &c. ** in obſervat. in N. T. c. XXX. ſq. *** In Exercit. de Helleniſtis & lingua Helleniſtica. * vid. D. Jo. Tob. Major, qui ejusdem ſententiæ, Exegemat. locorum difficil. πραξαποσόλων P. I. ad Cap. VI. Actor. & Poſter. p. 1. ſqq. loco citato Matthæum Cotterium, gente Gallum, ut arbitrum & ſequeſtrem inter Heinſium & Salmaſium ſiſtit, ejusdemque ſententiam de Helleniſtis, deque proſelytis fuſe exponit. ** l. c. ad Cap. VI. Act. Hom. XXV. p. 17.

tentiam, non parum & Syrus interpres, cui quippe *ἑλληνισταὶ Judæi* sunt, ut ex ipsa versione claret. Celeberr. Buddeus aperte fatetur*, se hucusque non adeo prægnantem rationem perspexisse, cur ab ea discedere debeat sententia; præsertim cum & ea vocis significatio huic loco prorsus conveniat. *Cum enim Judæi ἑβραΐζοντες*, addit, *se non una ratione Hellenistis præferrent, iisque meliores esse crederent; fieri facile potuit, ut viduarum, quas Hellenistæ reliquerant, non ea, qua decebat ratione, cura gereretur.* Estius **, qui per *διακονίαν καθημερίνην* recte rerum quotidianarum suppeditationem intelligit, miratur, Erasmum in paraphrasi sua, *ministerium* intelligere, *quo viduæ apostolis* ac *discipulis inservierint. Idem in scholiis*, pergit, *in epistolam Hieronymi ad Evagrium, ex eodem suo errore conatur locum ejus epistolæ castigare, cum potius ex verbis epistolæ, debuisset admoneri rectæ intelligentiæ hujus loci. Nec id animadvertit in scholiis suis Marianus, qui Erasmum taxat quidem more suo graviter, ipse tamen in hunc eundem lapidem turpiter impingit. Quanquam & Bedam sic sensisse apparet, tam in primo commentario, quam in retractationibus.* Cæsar Baronius recedit*** quidem a sententia, taxata ab Estio, incurrit vero in aliam, quæ non melioris farinæ. Per quotidianum scilicet *ministerium illud* intelligit, *quo* viduæ *aliis ministraverint*, quodve, annotante celeber. Buddeo*, *activum* vocari possit, ut sensus sit: viduas Hellenistarum in officio dispensandi eleemosynas, præteritas fuisse. Quam longe vero hæcce a veritate absint, vel inde constare, quod tunc temporis nondum viduæ constitutæ legantur, queis officium pauperibus ad vitæ sustentationem necessaria distribuendi, demandatum, & quod magis, apostolos ipsos, ut ex eorundem verbis pateat, eodem officio functos esse. Longe rectius itaque ministerium, quod vocatur *passivum*, intelligi, adeo ut indicetur, in communione collata, non ex æquo viduis Hellenistarum cum reliquis, distributa esse. Ad sedandam proinde murmurationem enarratam, apostoli convocabant totam

* l. c. §. VI. p. 751. sq. & in Inst. Th. Dogm. l. c. p. 106. ** l. c. ad Cap. VI. p. 1123. *** In annal. ad an. XXXIV. n. 283. * l. c. p. 751.

totam multitudinem, & qua poterant modeſtia proponebant, quæ ſequuntur: *οὐκ ἀρεστόν ἐστιν ἡμᾶς καταλείψαντας τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, διακονεῖν τραπέζαις* &c. Cæſar Baronius* per menſas, & communem & ſacram, ſeu evchariſticam, intellectas vult, &, ut D. Major** nos condocet, Jo. Quintino Hæduo eadem mens fuit, menſis communibus ſcilicet, & ſacris miniſtraſſe diaconos illos, aliter ſentiente Natali Alexandro***, diaconos nimirum ſeptem conſtitutos fuiſſe, non ad *vulgaris & profanæ*, ſed ad *ſacræ menſæ* miniſterium, in qua *ſacrificium* peractum fuerit, ſolide vero refutatus, æque ac Baronius, a Sam. Basnagio* & Buddeo**, qui celebrationem S. evchariſtiæ haud raro cum agapis conjunctam quidem concedit, ſacras & communes vero menſas ſemper easdem fuiſſe, probari non poſſe, adducens inſuper refragantem Gabr. Albaſpinæum***, contendentem, certum & exploratum eſſe, evchariſtiam non niſi mane ſumtam, agapas autem non niſi veſpere celebratas fuiſſe. Murmuratio Helleniſtarum, totiusque negotii indoles & ſcopus, quemlibet convincere poterit, apoſtolis, non de S. cœnæ adminiſtratione, ſed potius de pauperum cura, & bonorum diſtributione, ſermonem eſſe, quippe quam certis, teſtimonio publico ornatis, pleniſque Spiritu & ſapientia viris, demandandam volebant, de quibusve inter ſeſe ſollicite diſpicerent. Quæ apoſtoli propoſuere, eadem & placuere univerſæ eccleſiæ, inſtitutaque inſpectione ſollicita, elegerunt, conſtitueruntque in conſpectum apoſtolorum Stephanum, plenum fide & ſpiritu, cum cæteris, numero ſeptem, quos Lucas ordine recenſet, ut per preces, manuumque impoſitionem ad munus adeo grave, modo ſolenni & ordinentur & inaugurentur. Electio proinde ab eccleſia, non ab apoſtolis ſolis facta, id quod vel ab eccleſia inſequentium

 tempo-

* In annal. ad an. XXXIV. n. CCLXXXIV. ſqq. ** l. c. P. I. ad Cap. VI. Act. *** In Hiſt. eccl. Sec. I. Diſſ. VII. p. 123. * In annal. ad an. XXXV. §. X. p. 448. ** l. c. p. 751. *** Obſervationum de veteribus eccleſiæ ritibus L. I. Obſ. XVIII. p. 87.

temporum, in eligendis, non solum diaconis, sed & aliis ecclesiæ ministris, observatum, in ecclesia vero Romana, proh dolor! successive & nunc diu plane immutatum scimus, dum ordo ecclesiasticus laicos, quos vocant, jure suo privavit, & a suffragiis ferendis, satis inique, exclusit.* Ut proinde Romanenses electionem diaconorum, scitis suis, de prærogativa clericorum, in electione clericorum, adeo contrariam, illudant, nullam non adhibent operam. Estium audiamus **, qui ad v. 5. & elegerunt &c. hæcce annotat: *Hoc non intelligitur de electione canonica, quæ dat jus electis, sed de ea, quæ plebi interdum indulgetur. Quod hic eo propensius factum & ab apostolis, quia agebatur de ministerio quadantenus profano, de recta distributione eorum, quæ conferebantur a tota plebe &c. Itaque electio ista erat instar cujusdam postulationis seu desiderii & voti, quod apostoli sua auctoritate approbarunt*, id quod & ex præcedentibus: considerate ergo fratres viros &c. nescimus qua ratione, probare vult. Quomodo vero hæcce, æque ac quæ adhuc addit, omni certe destituta fundamento, concordant cum iisdem, quæ Hr. Hammondus ad h. l. commentatur? *Electio Diaconorum*, ait, *his (fratribus) permittitur, sed* primo ex mandato apostolorum. Secundo *hisce* limitibus *fuerunt ab apostolis circumscripti: 1) quod definitum ab apostolis septenarium numerum excedere non possent; 2) eligendos oportere esse μαρʃυρȣμένȣς probatæ vitæ; 3) dotibus (a Luca commemoratis) ornatos; 4) apostolos denique jus ordinandi sibi reservasse &c.* *** In Lucæ adeo claris verbis ne minimum vestigium quidem permissionis, aut mandati, aut indulgentiæ, aut ex parte cœtus congregati, postulationis, desiderii ac voti, quæque reliqua, invenire licet. *Omnia peraguntur*, Brentio nostro optime observante, *ut tranquille, ita simpliciter. Apostoli suadent eligendos œconomos, obsequuntur auctores summa animi libentia, & eligunt septem viros, iis virtutibus ornatos, quas apostoli in œconomis requirebant. Primo*

* Buddeus l. c. p. 756. & Casp. Zieglerus de Diaconis & Diaconissis c. IV. §. V. & VI. p. 39. ** In annot. cit. p. 1123. *** vid. celeb. Buddeus l. c. p. 756. sq.

mo orat tota ecclesia in eo loco congregata, pro iis, qui ad œconomicam functionem electi erant, ut Dominus virtutes Spiritus S. in ipsis confirmet, & augeat; quo digne queant vocationi suæ satisfacere. - - Deinde imponunt illis apostoli manus, ut publica manuum impositione ipsos de vocatione sua certos facerent. - - Nulla est hic superstitio, nulla nescio cujus characteris indelebilis impressio, quale quid Papistæ finxerunt. Sed omnia transiguntur, ut summa pietate, ita cærimoniis minime superstitiosis, sed ad novæ vocationis confirmationem conducibilibus, *iisque* arbitrariis, *non* necessariis. * Manuum impositio vel antiquissimis temporibus, a patriarchis, in signum benedictionis divinæ singularis Gen. XLVIII, 13. 14. & ab ipso Mose adhibita fuit Num. XXVII, 18. 23. Devt. XXXIV, 9. eodemque ritu, juxta Rabbinos, constanti traditione nitentes, septuaginta duo seniores inaugurati sunt, id quod & locus Num. XI, 24. sqq. confirmare videtur. Ex adductis insuper patet, & illustr. Bœhmerus ipse concedit **, factam a Mose manuum impositionem, non *benedictoriam* duntaxat, & *votivam* fuisse, sed etiam *miraculosam* & *efficacissimam*. Judæos abhinc ritum huncce adservasse & observasse, Campegius Vitringa *** quidem docet, nos vero eundem potius imitatos dicimus, retenta interim vix umbra. Servatorem optimum & impositionem manuum adhibuisse, suisque prædixisse, quod ægrotis easdem, successu per-miro imposituri sint, Marcus, historicus sacer, Cap. X, 16. & XVI, 18. claris enarrat. Et quod probe notandum, tempore apostolorum cum eadem miraculosa Spiritus S. efficacia donorumque extraordinariorum collatio conjuncta erat, iisque tantum obtingebat, quos dignos judicabant apostoli. Imponebantur nimirum manus iisdem, quibus munus sacrum demandandum Act. VI, 6. 1 Tim. IV, 14. unde & ipsum ministerium ecclesiasticum a Paulo *impositio manuum* insignitur Ebr. VI, 2. recens conversis Act. VIII. 17. 20. ægrotis Act. IX, 17. seqq. XXVIII, 8. electis ad prædicandum evangelium Act. XIII, 2.

 bapti-

* In oper. T. VII. Homil. XXV. p. 122. ** l. c. L. I. Tit. XI. p. 424.
*** De Synag. vet. L. III. P. I. §. XV. vid. Bœhmerus l. c. p 425.

baptizatis deinceps, pœnitentibus, hæreticis in ecclesiam receptis, novis conjugibus, & sic porro.* Longe alia proinde erat impositio manuum *apostolica*, quam *judaica* ætate Christi & apostolorum, & vel *christiana* etiam subsequentium temporum. Servator benignissimus discipulos haud per manuum impositionem adsumsit, aut adsumtos per eandem universi hujus doctores constituit publicos, ut & Matthiam hocce ritu apostolum constitutum haud legimus. Sic & ab apostolis non ea mente adhibita fuit, ut perpetuæ legis vigorem haberet, insuperque longe ab eadem diversa, quæ postea invaluit. Quas quæso cærimonias, ætate apostolorum plane ignotas, easque maxime superstitiosas, ab ecclesia præprimis Romana longe subsequentis temporis, additas, auctasque & legimus & videmus? ** Ordinationem in numerum Sacramentorum locarunt, & patres concilii Tridentini *** anathema eidem dixere, qui dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum S. ac proinde frustra episcopos dicere: accipe Spiritum S. &c. Characterem indelebilem ut taceamus, qui per eandem imprimi, & physicam qualitatem, & quæ reliqua, quæ produci, licet absque ullo fundamento, adferuntur. In ecclesiis nostris ordinationem, quæ, inter cætera, piis precibus & manuum impositione peragitur, retinemus, ut ritum antiquissimum, quo rite vocatus Deo & ecclesiæ sistitur, ejusdem vocatio & functio collata, ut legitima declaratur, & per preces associatas, ad felicem demandati muneris administrationem, prospera quæque eidem pie adprecantur.* Septem numero diaconos constitutos refert Lucas, quosque nominatim indicat. Cur septem? non est, ut

* Conf. Fr. Spanhemii Diatr. de ritu imposit. manuum in eccles. vetere ac degenere ejus usu oper. T. II. p. 871. Bernh. van Sanden Diss. de χειροθεσία, Walchius l. c. Sec. I. c. III. Sect. I. p. 427. ** Conf. Morinus de SS. eccl. ordinat. D. Dietr. Gotth. Eckard. l. c. L. I. Tit. XV. p 866. Polyd. Virgilius L. V. C. III. *** Sess. XXIII. c. IV. * Budd. in Instit. Th. Dogm. L. V. c. IV. §. X. p. 1325. Bœhmerus l. c. L. I. Tit. IX. §. XVII. p. 428. sq. Eckard. l. c. p. 873. sqq.

ut quæramus: tot, & non plurium, tunc temporis, Hierosolymæ opus erat, eosdem ut sicco transeamus pede, qui in numero septenario, nescio quæ mysteria latitare sibi persuadent. Constitutione septem diaconorum apostoli cum reliquis, ecclesiæ Hierosolymitanæ consulere studebant, nequaquam vero aliis legem præscribere; interim vel florentissimæ ecclesiæ sequebantur, maxime ex hoc capite, quod pro institutione apostolica haberetur. Canon XV. Synodi Neocæsariensis & XVI. Trullanæ: ὅτι διάκονοι ἑπτὰ ὀφείλουσιν εἶναι κἂν πάνυ μεγάλη ἡ πόλις ᾗ, satis luculenter testatur, quod in urbibus amplis, & numerus septenarius, in constituendis diaconis, observatus fuerit, quanquam non semper & ubique, cum Justinianus, imperator centum, Heraclius plures admiserit.* Num duo diaconorum genera, alterum eorum, qui in ecclesia Hierosolymitana pauperum curatores extiterint, alterum vero illorum, qui in aliis christianorum cœtibus variis rerum sacrarum ministeriis admoti fuerint, disceptatum est inter eruditos, aliis quæstionem affirmantibus, iisque eruditione maxime claris, Jo. Gerhardo scilicet, Casp. Zieglero, Sal. Deylingio, & Matth. Pfaffio, quibus & Marcum Antonium de Dominis addimus, aliis negantibus, Jac. Rhenferdio** præprimis, quippe qui, præ reliquis, unius tantum generis diaconos, eorundemque munus ordinarium & perpetuum evincere adnisus est. Apostoli constitutione diaconorum, Hierosolymæ facta, aliis ecclesiis nullo modo, ut jam primum observavimus, normam, eamque perpetuam præscribere voluere, imitabantur vero eædem, insignis quippe utilitatis convictæ, brevi post Hierosolymitanam, & hinc inde maxime necessitate id exigente, presbyteris diaconos adjungebant, simulque & alia iisdem negotia sacra committebant, invalescente interim sensim opinione, institutum hocce ab

* Major l. c. ad Cap. VI. Act. ** De decem otiosis Synagogæ Diss. I. §. LXXV. sqq. & Diss. II. c. I. & II. in ejusdem operibus philolog. p. 327. sqq. & 361. sqq.

apoſtolis omnibus eccleſiis præſcriptum eſſe, cum primitus tantummodo conſilium, eccleſiam, quæ Hieroſolymorum, unice ſpectans. Ex adductis proin non ſolum quæſtio propoſita, ſed & alia: num munus diaconorum fuerit ordinarium, vel extraordinarium? ex facili dijudicanda erit. * Receptam de conſtitutione diaconorum ſententiam, quantum licuit, expoſuimus; aſt hanc eandem impugnare ſibi ſumſit illuſtr. Bœhmerus, conatu perdocto eoque reiterato contendens **, Cap. VI. Actor. non *diaconorum*, ſed *presbyterorum* conſtitutionem referri, hancce ſententiam non heri aut nudius tertius natam, ſed jam olim in Synodo, in Trullo habita, a patribus c. 16. aſſertam, & ab aliis ſubinde aſſumtam eſſe. *** Electos fuiſſe ad imitationem *presbyterii judaici*, id quod paulatim & in reliquis eccleſiis factum. Ineunte eccleſia *ſacerdotali munere* haud functos eſſe, ſed *laici ordinis*, vel *de plebe homines*, quamvis *eminentiores* & *ſapientiores*, id quod & a Salmaſio * & Burmanno ** obſervatum, eorundemque officium fuiſſe, bene gubernare 1 Tim. V, 17. vel eccleſiam paſcere Actor. XX, 28. quod itidem directionem quandam involvat, inde & *epiſcopi* vel *præpoſiti* dicti. Et licet, eosdem *primario* ad docendum conſtitutos, haud concedere videatur, loco 1 Tim. V, 17. aliisque rationibus vero convictus, tandem *duplicis generis presbyteros* fatetur, nimirum *docentes* ſeu *doctores*, & *haud docentes* ſeu *ſimplices*. Præter inſpectionem in doctrinam, vitam & mores, curam pauperum & viduarum quo-

que

* De diaconorum origine eorundemque munere copioſe & erudite commentati ſunt Caſp. Zieglerus de diaconis & diaconiſſis vet. eccl. L. I. c. III. p. 22. ſqq. Sam. Basnagius annal. politico-eccleſ. ad an. XXX. §. VI. T. I. p. 446. Buddeus de eccl. apoſtol. Cap. VI. § VI. p. 748. ſqq. Walchius l. c. Sect. I. c. III. §. VI. p. 442. ſqq. Bœhmerum, Eckardumque ut taceamus. ** In Diſſ. jur. eccleſ. antiqu. ad Plinium & Tertull. Diſſ. VI. §. XX. ſqq. p. 351. ſqq. In jure eccleſ. proteſtant. L. I. Tit. XXIII. §. II. p. 533. Tit. XXIV. §. II. ſqq. p. 553. & in jure parochiali Sect. VI. c. I. §. V. p. 306. *** Ad Vitringam de Synagoga vetere L. III. P. II. c. V. p. 924. & Pfaffium de orig. jur. eccl. p. 47. ſqq. provocat.
* De epiſcopis & presb. p. 383. ** Diſp. VI. de Synag. §. XLI.

que eosdem habuisse. Diaconorum originem pariter e Synagoga judaica petit, Zieglerumque falli putat, censentem, eorum officium fuisse ministerium mensarum, curamque pauperum & viduarum, interim non negans, diaconos episcopis & presbyteris in administratione eorundem, quæ pauperes viduasque spectaverint, adstitisse, quidve hac in parte egerint, id ex *jussu & mandato* episcoporum, non *proprio* quodam *jure*, factum. Generatim diaconos sistit, ut *ministros* episcoporum & presbyterorum, queis ad varia ministeria usi, quique etiam ad *jussum* ecclesiæ & episcoporum, semper ad actus sacros quosvis promti ac parati fuerint.* Hæc est sententia illustr. Bœhmeri; eundem vero nullum plane inter diaconos & presbyteros constituisse discrimen, seu diaconos eidem ipsos fuisse presbyteros, ut Viri celeber. Buddeus** & Walchius*** annotant, in locis allegatis nullibi legimus. Ad illustranda a viro illustri prolata, quæ sequuntur adferre, e re ducimus. Apostoli erant *doctores universales & extraordinarii*, erant & *diaconi* 1 Cor. III, 5. *Diaconi* τῦ λόγυ & *Diaconi* τῶν τραπεζῶν Act. VI, 2. 4. Ut vero & majori assiduitate & feliciori successu vacare queant orationi & ministerio verbi, τῇ διακονίᾳ τῦ λόγυ, constituebantur septem supra enarrati, ut fungantur ministerio quotidiano τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ, & mensarum, διακονεῖν τραπέζαις. Septem diaconos proinde constituerunt apostoli, non presbyteros, iisdemque pauperum & viduarum commiserunt curam; at non hac ratione, ac si nullam plane imposterum eorundem habere, & altera ex parte diaconos a ministerio λόγυ ex toto exclusos velint; exempla Act. VI, 9. & VIII, 5. longe alius nos convincunt. Presbyterorum hoc in loco nulla, Cap. XI, 30. prima vice eorundem mentio fit, & Cap. XIV, 23. relatio, Paulum & Barnabam per singulas ecclesias, quas visitabant, suffragiis creasse presbyteros. Presbyteri etiam *episcopi*, & episcopi *presbyteri* nominabantur,

* In jure ecclef. protest. l. c. ** l. c. p. 765. *** l. c. Sec. I. c. III. §. VI. p. 443.

nabantur, nullo inter eosdem intercedente discrimine, Act. XX, 17. 28. Tit. I, 5. 6. 7. 1 Petr. V, 1. 2. Erant & *pastores* & *doctores* Eph. IV, 11. 1 Cor. XII, 28. 1 Tim. III, 2. 2 Tim. II, 2. *ordinarii* scilicet, quibus incumbebat fidei suæ commissos instruere, simulque ad eorundem vitam & mores attendere.* Ex Pauli verbis 1 Tim. V, 17. intelligere est, fuisse tunc temporis presbyteros *docentes* & *gubernantes*; eosdem vero ineunte ecclesia omnes *laicos* fuisse, seu de *plebe*, munerique docendi plane non vacasse, nullibi legitur, nec huc usque id probatum dedere adserti hujus patroni. Ex iisdem, quæ Lucas Evangelista Actor. XI, 30. narrat, per Barnabam & Saulum Hierosolymam ad presbyteros Antiochiæ collectas eleemosynas missas fuisse, nullo modo probari potest, quod Act. VI. de constitutione presbyterorum agatur, quin potius, collecta ad presbyteros, qui, æque ac apostoli, non omni viduarum pauperumque cura sese abdicaverant, missa dicimus, tanquam ad antistites ecclesiæ, eadem ut per diaconos dispensare curent.

Ad tertiam Synodum ævi apostolici nunc accedimus, a divo Luca Act. XV. descriptam, admodum solennem. Non est, ut repetamus, quæ de Synodi hujus auctoritate supra adduximus, quippe quæ tanta, ut per-doctus inter Remonstrantes Theologus, Phil. a Limborch**, postquam Synodos nec ad *esse*, nec ad *bene esse* ecclesiæ *absolute* necessarias pronunciaverat, recte dixerit: *Illicitas tamen censendas non esse, ex apostolorum exemplo Act. XV. liquet. Quanquam nostræ Synodi multum ab* illa discrepant, & auctoritate inferiores *sunt. - - Merito dubitari possit, an unquam tam fælicia fuerint ecclesiæ tempora, ut omnia, quæ in vere Christiana Synodo requiruntur, observata sint,* præter Synodum apostolicam.

Tempus

* Conf. celeber. Buddei Diss. de orig. & potest. episcoporum contra Hr. Dodwellum §. X. sq. & ejusd. Instit. Theol. Mor. P. II. C. III. Sect. VIII. §. XV. p. 607. ** In Theol. Christiana Lib. VII. Cap. XIX. IV. p. 879.

Tempus quod attinet, non pauci magni nominis theologi A. C. XLIX. eandem inſtitutam putant, Ludov. Capellus vero ad annum XLV. Sam. Basnagius ad an. L. Centuriatores Magdeburgenſes ad an. LI. & Jac. Vſſerius ad annum LII. eandem referunt. Poſt tres annos a converſione, primum Hieroſolymam veniſſe Paulum, ex Gal. I, 18. colligunt, qui primam ſententiam defendunt, & poſt quatuordecim annos * iterum cum Barnaba Hieroſolymam adſcendiſſe ex Gal. II, 1. queis vero, ut & cæteris immorari noſtrum non eſt, ſolliciti potius de occaſione hujus Synodi. Venerant quippe, enarrante Luca Cap. XV. Act. Antiochiam quidam ex Judæa, contendentes, *fratres ſalvos fieri non poſſe, ni ritu Moſaico circumciderentur,* permagnasque ibidem excitaverant turbas. Quinam turbatores iſti fuerint, non una eruditorum ſententia eſt. Sunt, qui eosdem Pſeudapoſtolos dicunt, quibus vero celeberrimus Buddeus ſubſcribere hæſitat, quippe qui potius, ſpreto concilii decreto, demum prodierint, & ad errorem ſuum & defendendum, & Pauli ſibi maxime obſtantem auctoritatem imminuendam, omnem moverint lapidem. Cerinthum alii ducem turbatorum dictorum autumant, & inter hosce Cæſ. Baronius, Natal. Alexander, Jac. Vſſerius, reclamantibus aliis, præprimis & Buddeo **, & Sam. Basnagio ***, idque vel ex hoc capite, quod Scriptor ſacer hac de re altum teneat ſilentium, cum tamen Paulus ejusdem generis homines, Alexandrum nempe, Hymenæum & Philetum ſuis adpellaverit nominibus. Ex gente Judaica, & forſitan, ut non pauci autumant, e ſchola phariſæorum * &

 converſi

* Vid. Walchii Hiſt. eccl. Sect. I. c. IV. §. III. p. 562. ſq. ** vid. ej. eccl. apoſtol. C. IV. §. II. p. 196. *** In annal. Politico-eccleſiaſticis ad an. Chr. L. §. 19. p. 599. * Verba, quæ in codicibus quibusdam manu ſcriptis poſt verba: *& quidam deſcendentes ex Judæa,* leguntur: τῶν πεπιστευκότων ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων, obſervante Jo. Seldeno de Jure nat. & gent. juxta diſciplinam Ebræorum L. VII. C. XII. p. 886. vel ex hoc capite nil probant, cum in plerisque codicibus, iisdemque præſtantiſſimis non inveniantur. conf. Buddeus l. c. C. IV. §. II. p. 194. ſq.

conversi erant, qui Antiochiam quasi ruebant, auditis, gentiles ejusdem loci, sine circumcisione, in ecclesiæ communionem receptos esse, & nimio legis Mosaicæ Zelo flagrantes, circumcisionem, ut ad salutem necessariam, obtrudere tendebant. Paulus & Barnabas, Antiochiæ tunc præsentes, sese pro viribus hisce opponebant, & facta contentione acerrima, legationem ad apostolos & presbyteros Hierosolymam, ab ecclesia turbata sibi delatam, eo lubentius suscipiebant, cum hoc modo optime litem præsentem componi sibi certo persuasum haberent. Proficiscebantur cum illis & alii, & quod probabile, quidam vel ex iisdem, qui cum Paulo & Barnaba satis vehementer disceptaverant *, comitati ab ecclesia aliquousque, suscipiebanturque Hierosolymæ, ab universa ecclesia, apostolis & presbyteris maximo cum gaudio. Vix pedem ibidem fixerant; opponentes quosdam ex pharisæis conversos habebant, qui fideles e gentilibus circumcidendos contendebant, insimulque iisdem injungendum, legem Mosis ut servent. Vel ex hoc quidam eruditorum colligunt, quod ex numero conversorum Pharisæorum & iidem fuerint, qui Antiochiæ tantas turbas dederint, adserentibus aliis, eosdem cum Paulo & Barnaba Hierosolymam reversos esse, ibidemque Antiochiæ incœptam disceptationem redintegrasse. Alii verba Actor. XV, 5. non Lucæ, sed ipsius Pauli & Barnabæ esse credunt, & continuationem sermonis, quem cœperint, præeunte Beza, quippe qui in versione sua verbum *ajebant* apposuerit. Relatis scilicet, quæ Deus effecerit per eosdem, & quid Antiochiæ acciderit, enumerasse, quodque hac de causa, ab Antiochenis ablegati, Hierosolymam venerint. Non est, ut prolixe rationes recenseamus, queis alii eruditorum hancce opinionem rejecerunt.** Ellipsim adeo insolentem

* Conf. Buddeus l. c. p. 203. sq. eosdem vero consilium, Hierosolymam adscendendi, suppeditasse, juxta ea, quæ Codici cuidam, quo Theod. Beza usus, addita, eidem, tacente scriptore sacro, ne probabile quidem videtur.
** vid. celeb. Buddeus l. c. p. 207. seq.

lentem a divis delegatis, quis expectaret? quæ connexio, quodſi vel admitteretur? Siccine non tota enarratio manca maneret & obſcura? referre enim prætermiſiſſent locum, ubi contentio facta, reliquasque circumſtantias; annon nova ellipſis fingenda? Pauli & Barnabæ narratio plana eſt ac plena: quid exinde, poſt eorundem adventum, Hieroſolymæ acciderit, Lucas exponere pergit, cetera ut intacta linquamus. Exorta proinde & Hieroſolymæ contentione de obſervantia legis Moſaicæ, ad ſalutem neceſſaria, nil ſupererat, quam ut, ad eandem componendam, ſynodus inſtitueretur.

Iidem, qui Synodum convocabant, apoſtoli & presbyteri erant, minime Petrus ſolus, id quod vir ingenuus Jo. Launojus aperte fatetur *, ſcopusque quem collineabant, nullus alius dicendus, quam ut controverſa ſub examen ab omnibus vocarentur, probeque perpenſis, tandem ſententia diceretur. Romanenſes, innixi erronea opinione, tempore apoſtolorum jam tum diſcrimen quoddam inter epiſcopos & presbyteros interceſſiſſe, & quod magis, eosdem laicos fuiſſe, nullo modo concedere volunt, quod presbyteri in hocce conventu, & ſuam dixerint ſententiam, cum tamen eosdem Lucas claris verbis refutet: *congregati ſunt apoſtoli & presbyteri, ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου.* Nullum ævo apoſtolico inter epiſcopos & presbyteros diſcrimen interceſſiſſe, eosdemque laicos non fuiſſe, a noſtratibus ad nauſeam usque evictum eſt, ut non repetamus, quæ hac de re in præcedentibus adduximus. Lucas generatim apoſtolos & presbyteros congregatos dicit Act. XV, 6. Paulum, Petrum & Jacobum ſaltem nominans. Quæritur proinde: num omnes huic concilio interfuerint apoſtoli? Quidam Romanenſium quæſtionem affirmant, præprimis iidem omnes, qui conſtitutionum apoſtoli-

* Epiſtolarum P. VI. ep. I. p. 484. ſq. At vero, inquit, quæ relata ſunt omnia cum diligenter lego ac relego, ac circumſpicio, Simonem Petrum in Synodo primum locutum eſſe invenio, Synodum convocaſſe non invenio. Nec ullus unquam invenit. Quæ ſequuntur, videre eſt apud celeber. Buddeum l. c. p. 214.

stolicarum conditores apostolos adserunt, juxta quas nimirum omnes apostoli præsentes fuere; aliter sentiente Baronio, qui tribus a Luca nominatis, Johannem saltem addit*, non paucis & suæ & nostræ ecclesiæ consentientibus. Quodsi quæ Paulus Gal. II, 9. 10. narrat, ad concilium Hierosolymitanum revera spectant, omnino dicendum & Johannem eidem interfuisse. Lucam ejusdem non mentionem fecisse, ut Sam. Basnagius objicit**, nil probat, cum varias ob causas id fieri potuit: presbyterorum præsentium nomina quoque non expressa leguntur.***

Quæstio controversa, quæ & dijudicanda & decidenda, huc redibat: *num e gentilibus conversis circumcisio, legisque Mosaicæ observantia, sub necessitate salutis, injungenda?* Id quod & Antiochiæ, & nunc Hierosolymæ quidam e grege Pharisæorum urgebant. Quodsi Guil. Caveus* quæstionem hancce fuisse tradit: *num circumcisio & observantia legis Mosaicæ, vel Christianismus solum, h. e. vera fides in Christum, & vitæ sanctimonia, ad salutem sit necessaria?* ac proin vitæ sanctimoniam negotio salutis immiscet, nemini alienum videbitur, cui scita ejus haud ignota. Adserere quippe conatur: obedientiam evangelicam, adeoque & bona opera, secundum ordinem divinum, conditionem fœderis evangelici esse, absque qua nemo sibi a Christo partam & ad vitam æternam necessariam remissionem peccatorum, & gratiam Dei promittere possit. Hocce adsertum Jacobo tribuit, adducens Cap. II, 14. 15.** suumque facit, quanquam perperam, cum tale quid Jacobo ne per somnium quidem in mentem venerit, & vel oratio Petri, Jacobique decisio eundem convincere potuisset, quod *per veram in Christum fidem, & non per opera legis, remissio peccatorum, ipsaque salus æterna obtinenda.* Num de lege cærimoniali aut morali quæstio proposita agat, non omnibus eadem

mens

* In annal. ad an. Christi LI. n. IX. ** In annal. politico-ecclef. ad ann. L. §. XX. p. 600. *** vid. Buddeus l. c. p. 210. sq. * In antiquit. apostol. p 451-477. ** Explicatio hujus Cap. vid. apud Buddeum l. c. p. 179. sqq. Gerhardum, aliosque ut taceamus.

mens est. Romanæ ecclesiæ membra, iidemque omnes, qui operibus in justificatione nimium tribuunt, pro cærimoniali pugnant, imo & ipse noster Gerhardus, *in quæstionibus de concilio apostolorum,* evincere conatur, non de morali, sed cærimoniali lege disputatum fuisse. Celeber. Buddeus ultro largitur, directe & per se quæstionem fuisse de lege cærimoniali, ejusque parte haud ultima, scilicet circumcisione, fundamentum vero istius erroris fuisse opinionem, de observantia legis generatim spectatæ, ad justificationem, adeoque salutem consequendam prorsus necessaria. Rationes, quas adfert*, huc redeunt: 1) Quod defensores hujus erroris sine dubio e secta Pharisæorum fuerint, quippe quorum sententia: *hominem per præceptorum divinorum observantiam, seu opera legis justificari Matth. V, 20. seqq.* 2) Cum circumcisione observationem totius legis Mosaicæ & cærimonialis & moralis conjunctam esse Gal. V, 3. Rom. II, 25. cumque circumcisionis necessitas a justificatione, rationeque salutem consequendi removeatur, non posse non simul observationem totius legis Mosaicæ removeri, 3) Petrum legem generatim jugum ἀβάςακτον vocare v. 10. legem cærimonialem vero solam jugum tale haud vocandam esse, cum præstationes, quas exigat, vires hominum neutiquam superent; legem vero moralem a nemine mortalium, secundum verum ac genuinum ejus sensum, servari posse, meritoque proin jugum ἀβάςακτον vocari. 4) Petrum cuncta gratiæ Domini Jesu Christi ita tribuere, ut omnia, cujuscunque legis, opera removeat. Quodsi enim operi legis cujusdam in justificatione locus concederetur, non posset amplius gratiæ tribui, id quod & Paulus omnes rectissime condoceat Rom. XI, 6. 5) Provocat ad decretum concilii, quippe quod satis probet, Petri sententiam ab ipso concilio approbatam esse, quibus addit 6) quod Paulus tum alibi, tum maxime in Ep. ad Rom. mascule pseudapostolis obviam iverit, qui, decreto concilii

 haud

* l. c. §. II. p. 199. sq.

haud acquiescentes, controversiam hancce continuare ausi sint.

Modus, in hocce Concilio servatus, a Luca sequentibus indicatur: *multa contentione facta, Petrus surgebat &c.* Proposita nimirum publice quæstione controversa, defensores erroris de observantia legis, ad eundem propugnandum, omnes ingenii intenderunt nervos, quibus vero sese apostoli, presbyteri aliique e præsentibus, fortiter opposuere, donec tandem Petrus in medium prodiit, sententiamque tanta mentium convictione dixit, ut in universum omnes siluerint. Romanenses inde probare adnituntur, eundem *præsidis* munere functum esse, & sufficiant hac vice Rob. Bellarmini verba*: *Et ibidem*, Petrum nimirum, *præsidis munere functum, ex eo colligitur, quod Petrus primus surgit, primus loquitur, primus quæstionem definit, & omnes, ut Hieronymus dixit, sententiam ejus sequuntur.*** Aliorum ut transeamus sententiam, adserentium, Petrum potuisse, si voluisset, solum, sine ullo concilio, obortam quæstionem decidere, secus autem quod hic se gesserit, id singulari ejus modestiæ tribuendum, quamve animi moderationem & Joh. Cabassutius admiratur.*** Estius* Petro in hocce concilio omnia attribuit: *Petrus*, inquit, *tanquam apostolorum princeps, primus dicit sententiam, quam deinde approbat Jacobus, tanquam Hierosolymorum episcopus. An alii plures dixerint sententiam, non expressum a Luca; verisimile tamen est, alios etiam dixisse. Denique fit conclusio, quam finaliter etiam a Petro factam fuisse, ratione sui primatus, licet Lucas id etiam non prodat, non dubitamus.* Mirus interpres Lucæ! Johannem Launo-

* Lib. I. de conciliis & ecclesia C. XIX. p. 84. ** Isaacus Casaubonus & Sam. Basnagius, viri ab ecclesiæ Romanæ scitis longe alienissimi, pariter, ac Romanenses, Petrum concilii Hierosolymitani præsidem adserunt, licet haud concedant, inde ejusdem, Romanorumque episcoporum primatum stabiliri posse, iste in exercit. XVI. contra Baronium N. CLI. p. 670. hiece in annal. polit. eccles. ad an. L. §. XX. p. 600. refutati vero a celeber. Buddeo l. c. C. IV. §. III. p. 115. sq. *** In notit. eccles. historiarum & conciliorum Sæc. I. p. 18. * l. c. pag. 1051.

Launojum*, æque ecclesiæ Romanæ eundemque satis clarum doctorem, insimul vero virum sincerum, potius legamus, qui, hocce de concilio verba faciens, aperte ponit: *ecce tibi primum ecclesiæ concilium, in quo de rebus ad Christianorum mores spectantibus decernitur, sed non a solo Petro, sed & ab eo, & reliquis apostolis & senioribus: convenerunt apostoli & seniores videre de verbo hoc, - - - quod visum fuerat, communi omnium nomine sic exprimitur: tunc placuit apostolis & senioribus cum omni ecclesia &c.* Quid? vel ex ipsis ecclesiæ Romanæ asseclis quendam adducere possumus, qui Jacobum potius, quam Petrum præsidem Concilii Hierosolymitani ingenue fatetur. Alphonsus Tostatus is est, ejusdemque verba adeo clara, ut nil clarius: *Jacobus alphæi - - - non solum erat unus de præcipuis, qui videbantur columnæ; sed erat* major omnibus, & major Petro, *non quidem in quantum apostolus, sed in quantum episcopus Jerusalem. Unde in concilio Hierosolymitano, quod fecerant apostoli & tota ecclesia, non protulit Petrus definitivam ecclesiæ, sed Jacobus* solus *loquutus est* definitive, *velut totius ecclesiæ* organum, *& quolibet de assistentibus* major.** Exemplo Cornelii, proselyti e gentilibus, Petrus evincebat, Deo omnes, & gentiles & Judæos gratos esse, si in Christum credant. Cornelio se prædicasse doctrinam de Christo, ad hoc a Deo electus, Cornelium eandem cupide quoque audivisse & credidisse, id quod Deus cordium scrutator, luculento testimonio confirmasset. *Spiritum Sanctum*, ajebat, *illis æque, ac nobis dedit, nec ullum discrimen inter nos & eos fecit, cum eorum animos fide purgasset. Quid tentatis ergo Deum****, tandem concludebat, *discipulorum cervicibus*

* Epistolarum P. IV. epist. III p. 284 sqq. ** In Cap. XVII. Matth. qv. XIII. T. X. oper. P. II. p. 347. Adduxit eadem Sam. Schelguigius exercit. de concil. Hierosol. c. XI. §. IV. & Buddeus l. c. C. IV. §. III. p. 216. sq. cum addito: *Quod si itaque præses aliquis concilii istius statuendus, Jacobum potius eum fuisse, quam Petrum, ut concludamus par est.* *** Hugo Grotius ad h. l. *Cur Deum offenditis? Sed tentant,* addit cel. Buddeus, *etiam Deum, qui conantur aliquid facere, vel aliis imponere, quod longe supra ipsorum vires est, nec a Deo est mandatum; qualis erat illa jugi legalis impositio, ut recte Abraham Calovius monet ad h. l.*

cervicibus jugum imponendo &c. Summa totius sermonis hæc est: *Jugum legis Mosaicæ cervicibus eorum, qui ad Christum conversi sunt, & convertuntur, non esse imponendum, siquidem nulla alia ratione salus consequenda, quam per gratiam* Domini nostri Jesu Christi.* Sermo Petri tanta erat vi, ut omnes conticescerent, & eo attentius audirent, quæ Paulus & Barnabas de ostentis, quæ Deus inter gentiles per ipsos fecerat, narrabant. Tandem Jacobus, silentibus hisce, sermonem ordiebatur, quæstionemque decidebat, de qua controvertebatur. Quisnam fuerit Jacobus iste, varie disputatur.** Scriptura S. mentionem facit Jacobi, filii Zebedæi, fratris Johannis, & Jacobi, filii Alphæi, fratris Josephi, Judæ & Simonis, iste *major*, hic *minor*, appellatus. De tertio Jacobo, quem nonnulli addunt, quemque non apostolum, sed episcopum Hierosolymitanum, fratremque Domini dicunt, haud solliciti, cum omnia incerta, quæ de eodem referuntur. Jacobus major jam tum ante concilium dictum martyr factus erat Act. II, 2. Jacobus Alphæi proinde superest, quemque Paulus diserte fratrem Domini Gal. II, 9. vocat. De eodem vero Paulum loqui, vel inde liquet, quod eundem Petro & Johanni adjungit, & inter columnas ecclesiæ refert. Et quis dubitet, Jacobum Alphæi filium non eundem esse, qui in concilio post Petrum sententiam dixit? certe, quæ apostolus ibidem commemorat, non

* Brentius l. c. Homil. LXVII. p. 282. Petri effatum hac ratione explicat: *In illis duobus verbis, per* gratiam *&* credimus, *sita est tota emphasis hujus dicti. Sic & Paulus ad Romanos scribens: Justificamur, inquit,* gratis *per illius* gratiam, *per* redemptionem, *quæ est* in Christo Jesu, *quem proposuit Deus reconciliationem per* fidem, *interveniente* ipsius sanguine. Gratiam legi, adeoque & justificationi per opera, Petrus opponit, proinde nullo modo de *gratia*, quam Romanenses fingunt, *infusa*, seu donis gratiæ, loquitur, quin potius de *gratia* Dei *justificante*, in Christo *promissa*, Gen. XII, 3. XXII, 18. Gal. III, 16. in Christo *facta* Joh. I, 17. in Christo & per Christum *oblata* & *data* 1 Cor. I, 4. Eph. I, 6. Rom. III, 25. Ebr. IV, 16. 1 Petr. II, 10. per quam omnes, Christum fide tenentes, remissionem peccatorum æternamque salutem consequuntur. vid. celeb. Buddeus l. c. C. IV. §. III. p. 224. ** vid. Buddei eccl. apostol. l. c. p. 226. sqq.

non aliorsum, quam ad tempus concilii Hierosolymitani referenda. Quodsi vero veteres unanimi consensu tradunt, Jacobum fratrem Domini Hierosolymæ episcopum fuisse, id & nos eatenus concedimus, quatenus per longum tempus munere apostolico ibidem functus; apostoli quippe in hoc vel illo loco commorantes, & episcopos agebant, quamdiu in eodem hærebant. Orationem ipsam nunc aggredimur, quam Jacobus publice habebat: *Viri fratres*, ajebat, *narravit Simeon, quo pacto primum Deus curaverit adsciscendum ex gentibus externis populum suo nomine &c.* Quosdam patrum & inter hosce & Theophylactum ad Actor. XV, 14. per Simeonem senem illum pietate celebrem, cujus Lucas c. II, 25. sqq. meminit, & virum perdoctum Jo. Christoph. Wolffium Simeonem Cananæum s. Zelotem, Jacobi fratrem, intelligere, idque absque omni ratione, valde miramur. Petrus primus sententiam dixerat, Paulus & Barnabas pariter, quæ ad rem controversam necessaria duxerant, elocuti erant, nunc & Jacobus incipit, & quæ Petrus de conversione gentium, sigillatim Cornelii, ejusdemque familiæ, effatus erat, non solum comprobat, sed & ulterius probat, provocans ad vaticinia prophetarum, e quibus illud Amosi producit, quod nunc impleatur. Petrum, more loquendi apud Ebræos recepto, Simeonem nominat, more Græcorum vero idem nomen Simon efferri, adeo notum inter eruditos, id ut monere haud necesse habeamus. Effatum Amosi, ut a Luca, græce loquente, allegatur, cum textu ebræo non convenire ex inspectione liquet, id quod vero Jacobo nullo modo tribuendum, qui sine omni dubio inter Ebræos ebræo, eoque Amosi sermone usus est; Lucas vero versionem LXX. ut & reliqui scriptores sacri novi fœderis sæpe, non sine gravi causa, secutus est, quæ quoad verba a textu ebræo quidem discedit, sensu interim eodem manente*, licet non defuerint, qui & qua verba, consensum inter textum ebræum &

 versio-

* Vid. celeb. Buddeus l. c. p. 239.

versionem græcam ostendere conati.* Textus proinde ebræus malignitate Judæorum haud corruptus, ut Pezronius** & Whistonius*** inde colligunt, refutati vero, hicce a celeber. Jo. Gottl. Carpzovio*, iste a Brandano Henrico Gebhardo**, nec Lucas in recitandis hisce verbis, mala fide usus est, ut Judæorum impietas delirat, id quod copiosius a celeber. Buddeo & Gebhardo ll. cc. alios ut silentio prætermittamus, demonstratum est. Sensus vaticinii Amosi huc redit: tabernaculum Davidis, seu regnum Messiæ, tempore veteris fœderis collapsum, ruinæque proximum, adventante Messia restauratum iri, ita quidem, ut ecclesiæ veræ etiam gentiles adjungendi, idque Deum prædixisse, qui omnia facit, cuique nota sunt ab æterno omnia ejus opera. Definiendo tandem concludebat Jacobus: Διὸ ἐγὼ κρίνω &c. Tanto verborum pondere in concilio adeo solenni quæstionem controversam decidebat, & hoc ipso ostendebat sese haud minoris, ac Petrum reliquosque apostolos, auctoritatis esse. Estius ad v. 19. διὸ ἐγὼ κρίνω, hæcce annotavit: *Quidam putant, ut Medina 1. 2. q. 95. artic. 1. Jacobum hunc Hierosolymitanum episcopum, tanquam judicem ordinarium, in propria diœcesi residentem, pronunciasse apostolorum sententiam, etiam in præsentia Petri universæ ecclesiæ episcopi. Potius dicendum, quod dixerit sententiam ut judex; quia omnes apostoli erant judices, sicut omnes episcopi in conciliis etiam generalibus. Sed solus Petrus, & ejus successor est supremus judex, qui concludit & definit*, remittens simul ad eadem, quæ ad v. 7. annotavit, quæque supra adduximus. Adeo vano nisu ecclesiæ suæ commenta de primatu Petri ejusdemque successorum, stabilire conatur. Lucas de Petri concluso finali altum tenet silentium, aperte potius scribens, Jacobum, approbantibus omnibus & singulis, dixisse: διὸ ἐγὼ κρίνω. Quodsi defensores primatus potestatisque Petri,

&

* Vid. Jo. Christoph. Wolfii curæ philol. ad h. l. p. 1219. ** In antiquit. temporum defensa C. V. p. 295. sq. *** In conatu restituendi contextum ebræum p. 326. * In crit. Sacra P. III. C. II. p. 889. sqq. ** In Amoso enucleato p. 176. sqq.

& ſucceſſorum, recte obſervante Guil. Caveo l. c. vel unicum tanti ponderis locum, producere valerent, certo ſibi perſuaſum, eodem inflati, criſtas magis erecturos, quam ſuo: *Tu es Petrus*, vel *paſce oves meas*. Petrus, quod obſervaſſe nobis neceſſarium videtur, gentilibus converſis nullum, ſub ſalutis neceſſitate, jugum legale imponendum cenſet, Jacobus hæcce approbat & probat, verum, ut pro ratione ſtatus præſentis, ſicque ſuadente caritate & prudentia, aliquod jugum iisdem imponendum exiſtimet, nimirum, ut abſtineant ab iisdem, quæ converſis & convertendis Judæis offendiculo eſſe queant, idque eo magis, cum Moſes adhuc plures aſſeclas habeat, qui hac ratione eo facilius ad Chriſtum perduci poſſint. Concluſum hocce apoſtolis, presbyteris, & univerſo cœtui perplacebat, tandemque plane convicti, non ſolum decernebant ablegare quosdam Antiochiam, ſed & *decretum peculiare* condebant, idque per literas cum iisdem communicabant.

En eventum concilii felicem, ſucceſſum exoptatum. A tota Synodo decretum hocce conceptum fuiſſe, non eſt, ut multis probemus, vel litteræ ad eccleſiam Antiochenam datæ, id abunde comprobant; Mariam vero, matrem Domini, magiſtram magiſtrorum, ab apoſtolis & conventu toto conſultam, Synodicum hocce decretum confeciſſe, ut quidam Romanenſium adſerere non erubeſcunt, id commiſeratione potius, quam reſponſione dignum.* *Decretum* ipſum maximi momenti eſt, & proin eo diligentius conſiderandum: *Viſum eſt enim Spiritui Sancto & nobis, nihil amplius vobis oneris imponere, quam hæc* neceſſaria, *abſtinendum* ab idolorum victimis, *&* ſanguine, *&* ſuffocato, *&* ſcortatione, *a quibus ſi vos continebitis, recte facietis: valete.* Juxta Hugonem Grotium ad h. l. ſenſus erit: *Viſum eſt nobis per Spiritum Sanctum &c.* juxta alios: *Viſum eſt Spiritui Sancto, ut cauſæ*

 princi-

* Vid. Sam. Schelgvigii exercit. de concilio Hieroſolymitano Cap. XXIX. §. I.

principali, & nobis, ut instrumentali. Id quod decretum erat, ab apostolis, presbyteris, totaque multitudine, iisdem omnibus, ut extraordinaria luce divina collustratis habitaculis instrumentisque Spiritus, æquum piumque, multo magis vero Spiritui inhabitanti videbatur, cujus impulsum, ductum & inspirationem in re præsente adeo gravi, modo peculiari, & sentiebant, & unice sequebantur. Requirebatur vero juxta decretum, a gentilibus ad Christum conversis, ut abstinerent 1) *ab idolorum victimis,* 2) *a sanguine,* 3) *suffocato* & 4) *scortatione.* Præcepta Noachidarum, aut ad minimum summam eorundem, in decreto hocce exhiberi, Wilh. Schickardus *, Hr. Hammondus ** & præprimis Petrus Jurieu ***, ast vano ausu contendunt, id quod fuse solideque, exposuere viri eruditione clarissimi Jo. Tob. Major l. c. Jo. Seldenus *, Sal. Deylingius **, tandemque & celeber. Buddeus ***. Sententiam hancce & Jo. Spencerus * refellit, aliam vero simul proponens, juxta quam *momenta* decreti, gentilismi vel idololatriæ *causæ, comites & signa* sæculis apostolicis fuerint, unde & necesse, ut gentes ad Christum conversæ ab iisdem imprimis abstinuerint, in testimonium, se idololatriæ nuntium misisse, eoque facilius Judæi cum iisdem in unam coalescerent ecclesiam. Secundariam, eamque triplicem subjungit rationem, quarum *prima* a parte Judæorum, ne quid iis offendiculo esset in conversorum gentilium moribus; *altera* a parte gentilium conversorum, ne si moribus cum ethnicismo conjunctis, aliquatenus indulgerent, eorum illecebris, ad ethnicismum iterum amplectendum, inducerentur; *tertia* a parte non plene conversorum, ne, si gentiles in fide christiana confirmati, ritus illos usurparent, qui tunc temporis idololatriæ

* De jure regio Ebræorum c. V. p. 129. ** In paraphrasi & notis ad h. l. *** Dans l' histoire critique des dogmes, & des cultes bons & mauvais &c. P. I. c. VII. p. 48. sq. * De jure Nat. & gent. juxta discipl. Ebr. L. VII. c. XII. p. 883 sqq. ** Obs. sacr. P. II. Obs. XXXIX. p 360. *** l. c. p. 257. sqq. * In Diss. de leg. Ebr. ritual. c. III. vid. Budd. l. c. p. 265.

latriæ *indicia vehementia* credebantur, fratribus illis infirmis ſcandalum darent, & ethnicos in erroribus ſuis, non parum confirmarent. Celeber. Deylingius l. c. hancce ſententiam, ſatis ingenioſam, approbat, & Buddeus l. c. eandem quidem non contemnendam judicat, nihilominus planior ſimpliciorque eidem illorum videtur ſententia, qui exiſtimant, non aliam ob cauſam, ſæpe memorata, converſis e gentilibus, interdicta eſſe, quam quod converſi ex Judæis his rebus maxime offenderentur. Caritatem & prudentiam id omnino poſtulaſſe, ad minimum tam diu, donec apertius conſtaret, leges cærimoniales abrogatas eſſe, nullumque amplius offendiculum timendum.*

Primum, quod e gentilibus converſis injungebatur, erat *τὸ ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων*, *abſtinentia ab iis, quæ idolis immolata*, ſeu, ut Jacobus expreſſit v. 20. *ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων*, *ut abſtineant a pollutionibus idolorum.* Juxta Guil. Caveum *ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων* proprie cibos notabant **, qui polluebantur & impuri fiebant, eo ipſo dum idolis dedicabantur. Perdoctus interpres provocat ad Cap. I. Mal. v. 7. quippe quo in loco ſeptuaginta interpretes לחם מגאל transtulerint per *ἄρτῳ ἠλισγημένῳ*, pane polluto, ſeu impuro, per quem probabili modo, intelligatur, panis idolis dedicatus. Utque panis, omnisque cibus, idolis dicatus, ita multo magis contaminabantur, qui ejusmodi cibos comedebant, idque cum offendiculo aliorum. Εἰδωλόθυτον ſignificat id, quod idolis immolabatur, eratque varii generis. Gentiles quandoque animalia idolo cuidam nuncupabant, mactata in uſum: quandoque partem ſaltim animalis mactati Numini offerebant, relictis cæteris aut ſacerdotibus aut offerentibus in cibum. De carnibus hisce ſæpe quædam, in macello venum expoſitæ, vel ab ipſis Chriſtianis emebantur, & perſæpe in delubris vel domi, de ejusmodi reliquiis inſtituebantur convivia,

* Vid. & celeber. Walchius l. c. p. 569. ſq. ** In antiquit. apoſtol. Cap. IX. §. V. p. 453.

vivia, quibus & ex christianis intererant, ad eadem invitati. Cumque Judaei idola, & omne id, quod sacrificium audiebat, aut inde denominabatur, ex animo abominarentur, ipsisque ad Christum conversis, vel maximo offendiculo, si ex eorundem numero quidam ad ejusmodi epulas veniebant, aut carnes de animalibus Numini cuidam nuncupatis, vel idolis ex parte immolatis, in macello venum datas, emebant, consultum merito apostoli ceterique praesentes ducebant, admonere e gentilibus illuminatos, ab iisdem sese ut abstinerent. Idolothytis in se spectatis vesci haud illicitum esse, congregati, sine dubio, aeque bene sciebant, ac Paulus 1 Cor. X, 25. 26. aliique e gentibus, in verae fidei capitibus fundati, Rom. XIV, 1. sqq. 1 Cor. VIII, 4. 7. Verum ex adductis ut clarescit, infirmorum ratio habenda erat.*

Secundum decreti apostolici *momentum* erat *abstinentia a sanguine*. De effusione sanguinis, seu homicidio, decretum agere, ut inter alios, Petro Jurieu l. c. placuit, sanguinisque esum sub suffocato comprehendi, ne verisimilitudinis quidem speciem habet. Homicidia & inter gentiles illicita censebantur, insuperque vix credibile in decreto tam paucis concepto verbis, unam eandemque rem bis repeti: quodque praecipuum, per particulam *καὶ*, sanguis & suffocatum pariter, ut reliqua a se invicem distincte distinguuntur. Consuetudo ecclesiae primitivae, eidem vicinae & subsequentis, nos convincit, decretum de esu sanguinis loqui, quippe quae optima legum interpres, uti & canones, quos hac de re constitutos legimus, & de quibus saltim canonem XXVII. in Trullo conditum, adducere volumus: *Ἡ θεία ἡμῖν γραφὴ ἐνετείλατο, ἀπέχεσθαι αἵματος καὶ πνικτοῦ καὶ πορνείας*, ad quem Zonaras ita commentatur: *Τῇ θεία τοίνυν γραφῇ, καὶ οἱ θεῖοι πατέρες ἑπόμενοι, ἐπεὶ ἔμαθόν τινας μεθόδοις τισὶ τὸ αἷμα τῶν σφαττομένων ζώων ποιοῦντας ἐδώδιμον, καὶ ἐσθίοντας αὐτὸ, διὰ τοῦ κανόνος τούτου* κεκω-

* Vid. Sam. Waltherus in der Historie der heydnischen Opffer-Mähler, edit. 1726. 4. Buddeus l. c. p. 257. sqq. Walchius l. c. Sec. I, C. IV. Sect. III. p. 571.

κεκωλύκασι 1ὸ τιῦτό τι ποιεῖν.* Cur vero Synodus Hierosolymitana esum sanguinis intermissum voluerit, non una eademque inter eruditos sententia. Joh. Spencerus respici putat ad opinionem veterum paganorum christianorumque, ac si dæmones sanguini, ceu gratissimo pabulo inhient, eoque vescantur. ** Originem eadem somniasse, ex ipsissimis ejusdem verbis patet: *Suffocatis autem nobis interdicitur, quia sanguis ex eis non est excretus, (cujus exhalatione pasci, ajunt, dæmones) ne vescamur cibo dæmonum, si suffocatum edamus. Quod autem de suffocato dictum est, satis indicat, cur abstineatur a sanguine.* *** Quis vero sibi persuasum velit, conditores adeo solennis decreti ad ejusmodi fabulas ac ineptias respexisse, aut, ut alii haud pauci, inter quos & Estius, autumant, crudelitati, homicidiisque hac ratione obicem ponere voluisse? D. a Mauden hac de re* ita edisserit: *In lege nimirum* naturæ *prohibitum fuisse, ne quis carnem cum sanguine comederet Gen. IX. item in* lege Mosaica *Lev. III, 17.* & evangelica *hoc loco, idque triplicem ob causam: I.) Ut homines abstinerent ab effusione sanguinis humani; II) quia sanguis est vehiculum, nutrimentum & tutela vitæ ac spirituum vitalium, vita autem solius Dei est, ergo & sanguis soli Deo offerri debet Lev. XVII, 11. III) ut Judæi & gentiles facilius possent uniri, seu coalescere in unam ecclesiam.* Esum carnis vivorum & semivivorum animalium, aut adhuc cruentæ Gen. IX. *lege divina positiva,* nec non esum sanguinis Lev. III, 17. XVII, 10. sq. *eaque cærimoniali,* gravibus de causis vetitum scimus; *lege* vero *naturali* id factum, *legemque evangelicam* ab apostolis *sancitam* esse, hucusque probatum nescimus. ** Judæi esum sanguinis, severissime Gen. IX, 4. Lev. III, 17.

* Vid laudatus Major l. c. P. II. p. 22. ** Diss. cit. c. III. Sect. I. p. 717. *** Lib. VIII. contra Celsum p. 396. seq. * Discursu XI. decalogico ad I. præceptum. ** E loco nostro dictus auctor & rationem, irrito etsi nisu, petere haud hæsitat, decidendi controversiam: *An liceat carnibus vesci apud hæreticos, diebus ab ecclesia vetitis sub periculo peccati mortalis, ut hoc modo quis se catholicum dissimulet, ad vitandum periculum, quod illi creari posset?* Præterea hoc in loco Romanenses fundatam ajunt, tritam inter eosdem controversiam: *An episcopi habeant*

jus

III, 17. XVII, 10. sq. interdictum, abhorrebant, ac proinde omnino abstinendum ab eodem gentilibus ad ecclesiam accessis, vel ipsa caritate & prudentia id suadente.

Abstinentia a suffocato tertium erat, a quo, juxta tenorem decreti, abstinendum. Stephanus Curcellæus, Alex. Morus, Jo. Mylius, aliique vocem πνικτȣ haud genuinam arbitrantur, provocantes ad Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, aliosque patrum de hocce concilio commentantes, apud quos scilicet vox πνικτȣ haud reperiatur.* Jo. Mylius, longe alius post hæc convictus, sententiam mutavit, & in notis ad Actor. XV, 20. aperte fassus est: *Omnes codices græcos, quos ipse quidem viderit, excepto uno Cantabrigiensi, versiones omnes, etiam vulgatam latinam, Origenem præterea patresque & tractatores græcos universim, vocem hanc retinere.* Cur vero nonnulli vocem πνικτȣ in decreto apostolico omiserint, inde factum putat persæpe laudatus Buddeus**, quod τὸ πνικτὸν jam voce sanguinis comprehendi, existimaverint. Judæis de suffocato, seu animalibus sine effusione, seu expressione sanguinis mortuo vel occiso, vesci, severrime interdictum, iisdemque hinc res abominanda erat; gentiles vero suffocata, & carnes, in quibus exacta diligentia adservatus erat sanguis, & cum eodem intus retento coctas, in deliciis habebant, notante Guil. Caveo*** & Hug. Grotio ad h. l. ex Athenæo.* Dictante proin lege caritatis & prudentiæ non poterant non conversi e gentilibus a suffocatis abstinere, eadem cum Judæi maxime detestarentur.

Quartum adhuc decreti apostolici *caput*, idque ultimum restat, nimirum *abstinentia a scortatione*, a Jacobo v. 20. secundo

jus condendi, figendi & refigendi leges de cibis, feriis & ordinibus, quæ conscientias inferiorum ligent, ut pareant, atque hoc jure divino? Misere proinde desudant in rebus a Paulo adeo clare & solide discussis Coll. II, 16. sq. & illaqueant inique innumeras conscientias scitis suis, nullibi in sacris litteris fundatis, graviter ut peccent, agant quod velint. Vid. D. J. T. Major l. c. P. post. p. 26. sqq.

* Conf. cel. Buddeus l. c. p. 277. ** l. c. p. 278. *** l. c. in vita S. Pauli C. IX. p. 455. * Ex ej. scil. Deipnos. L. II. C. XXIV. p. 65.

do loco positum. Rationes cur? ab Alexandro Moro in notis ad Act. XV, 20. excogitatas, exhibet celeb. Buddeus *, eoque judice, infirmo nituntur talo quæ profert, quantumvis ingeniosa, ut fere reliqua hujus auctoris. Quidam de significatione propria vocis πορνεία recedentes, per eandem scortationem spiritualem, seu idololatriam, eamque subtilem intelligunt, non perpendentes, Synodum nullo modo hac de re consultam fuisse: alii sacrificium meretricium, πορνικὴν θυσίαν, aut mercedem meretriciam, πόρνης μίσθωμα, ut Heinsius, quæque sententia Guil. Caveo ** admodum verisimilis videtur, Athanasii auctoritate innitens, qui vocem πορνεία eodem sensu adhibeat: alii de cibo meretricio exponunt, ut Sam. Maresius ***, & Joh. Marckius *, alii aliter. Spencerum scortationem inter *causas, comites & signa* idololatriæ referre, supra jam tum a nobis indicatum est; quibus vero recte dictus auctor addit: *Fornicatio tam frequens erat inter idololatras, eorumque moribus ac mysteriis tam arcte jungebatur, quod, ethnicismo vigente, totus pene mundus, in magnum quoddam lupanar abiisse videbatur.* Consuetudo, omnia impuritatum genera impune perpetrandi, cognitionem, quam ex lumine naturæ de iisdem, ut illicitis, habere poterant ethnici, adeo obliteraverat, ut *tota impudicitia*, Minutio Felice *** iisdem id opprobrante, *urbanitas* vocaretur. Gentiles proinde scortationem, simplicem præprimis, pro illicita haud reputabant, quæ contra-

G ria

* l. c. p. 279. ** l. c. p. 456. ex orat. Athanasii adv. gentil. p. 27. T. I. adducit, quæ sequuntur: Γυναῖκες γοῦν ἐν εἰδωλείοις τῆς Φοινίκης πάλαι προεκαθέζοντο, ἀπαρχόμεναι τοῖς ἐκεῖ θεοῖς ἑαυτῶν τὴν τοῦ σώματος μισθαργίαν, νομίζουσαι τῇ πορνείᾳ τὸν θεὸν ἑαυτῶν ἱλάσκεσθαι, καὶ εἰς εὐμένειαν ἄγειν αὐτὴν διὰ τούτων. vid. & Th. Ittigius in Select. H. E. Cap. Sec. I. C. II. §. I. p. 70. *** Syst. theol. p. 365. sq. * Exerc. textual. p. 372. ** Diss. in Act. XV, 20. C. III. Sect. I. p. 713. sqq. quique diss. I. & diversas sententias refert, vid. & cel. Deylingii Obs. S. P. II. Obs. XXIX. p. 358. *** In Octavio c. XXVIII. §. II. p. 110. ed. Cellarii Halæ 1699. conf. & Caveus l. c. p. 455. qui Cic. Orat. XXXIV. pro Coelio, Terent. Adelph. Act. I. Sc. II. aliosve citat.

ria ex parte Judæis res maxime & abominanda & execranda, admodum ſevere iisdem quippe interdicta; de neceſſitate idcirco videbatur, immo ipſo jure divino id jubente, ut & ſcortatio, e gentilibus converſis, plane ac plene prohiberetur. Litteræ ſynodales, per quas concilii decretum adeo ſalutare cum iisdem, quorum Antiochiæ intererat, communicabatur, bonæ erant, bona tandem & earundem clauſula: *Ἐξ ὧν διατηρῦντες ἑαυτὺς, εὖ πράξετε. Ἔῤῥωσθε, a quibus, ſi vos continebitis, recte facietis. Valete.* Satis plana quidem pauca ejusdem verba ſunt, nihilominus, annotante celeb. Buddeo*, theologi quidam Batavorum, in judiciis de Rich. Simonis hiſtoria critica veteris teſtamenti**, nodum in ſcirpo quæſivere, in eodem ſibi inveniſſe viſi; quod cum dignitate & auctoritate virorum *θεοπνεύςων* haud ſatis conveniat. Juxta eorundem opinionem potius formula prophetarum adhibenda fuiſſet: *hæc fugienda ſunt, ita enim jubet Dominus*, queis vero Vir celeberrimus opponit: apoſtolos non legumlatores, ſed doctores eccleſiæ fuiſſe, nec aliter in hocce negotio ſe geſſiſſe; ſic & dignitati auctoritatique doctoris, etiam dono infallibilitatis inſtructi, hancce formulam optime reſpondere. *Quodſi prophetæ veteris teſtamenti*, addit, *quando hominibus improbis iram Numinis denuntiarunt, aut aliud quid dixerunt, cui ex majeſtate legislatoris vim ac pondus addere neceſſe erat, ita loquuti ſunt: non ſtatim apoſtolos, in hominibus infirmis erudiendis, aut errantibus in rectam viam reducendis occupatos, eadem loquendi ratio decebat.* Queis & Herman. Witſii obſervata *** ſubjungit: *Oeconomiæ novi teſtamenti conveniens eſſe, ut non eo ſemper vigore loquantur apoſtoli, quo prophetæ veteres*; item *ſpecialem fuiſſe rationem, cur ita concluderetur epiſtola; quippe in qua nonnulla fuerint, continentia magis conſilium prudentiæ ad tempus obſervandum, quam præceptum univerſale.* Jacobum Elsnerum*, qui etiam Jo. Chriſtoph. Wolfium** ſibi ſuffragantem habeat, *τὸ εὖ πράξετε*

* l. c. §. IV. p. 291. ** Epiſt. XII. p. 253. *** In meletem. Leid. de vita & rebus geſtis Pauli Sect. IV. §. XI. p. 64. * In Obſ. Sacr. in novi fœd. Libr. ad h. l. p. 429. ** In curis phil. ad h. l. p. 1231. vid. Buddeus l. c. p. 292.

πράξετε non tam per *bene facietis*, quam potius per *felices, beati eritis*, σωθήσεσθε explicandum censere, porro notat Buddeus noster, & hancce observationem non contemnendam judicat. Formulam scilicet hancce assertioni Pseudapostolorum opponi, quippe qui de illis, qui legem Mosaicam non essent observaturi, pronuntiaverint: ἐ δύνασθε σωθῆναι; ac proinde mentem apostolorum: *potestis omnino, absque legis Mosaicæ observantia, servari, modo hisce, quæ constituimus, quævo charitas & prudentia, pro hocce rerum statu, postulat, morem gesseritis*. Significatio τῦ εὖ πράξετε propria & nativa est, *bene facietis*, minime vero, *felices, beati eritis*, sensusque hujus loci: *a quibus si continebitis, infirmis iisque conversis & convertendis, ecclesiæ plantandæ, & vobismet ipsis bene consuletis*. Interim per bonam consequentiam datam explicationem inde fluere, libenter & nos concedimus. Plura addere instituti ratio non permittit, nec insuper necessarium ducimus, cum varii eruditorum in enucleanda, concilii adeo illustris historia, laudandam impenderint operam.* Antiochiæ perlectis litteris synodalibus, gaudium oriebatur ingens, & hoc ipso exoptata ecclesiæ concordia restituebatur. Fuere quidem, qui in decreto hocce apostolico acquiescere haud voluerunt, ut turbæ, quas inde datas scimus, nec non certamina, quæ Paulo cum falsis apostolis, doctoribus, reliquisque ejusdem furfuris homuncionibus, de necessaria legis Mosaicæ observantia, subeunda fuerunt, abunde testantur: verum hæcce talia, haud impedire potuerunt insignia commoda, quæ inde redundarunt in ecclesiam. *Effecit id*, observante cel. Walchio **, *ut qui ex Judæorum pariter ac paganorum hominum gente ad Deum conversi erant, nunc majorem inter se colerent amicitiam: qui jam de re controversa recte sentiebant, in sua opinione confirmarentur: quibus injectus erat scrupulus & dubitatio, illi ad certam venirent*

* Præter scriptores adductos vid. J. C. Danhaueri διατύπωσις Conc. Hierosol. J. G. Dorschæi Diss. de sanguine & suffocato ad Act. XV. Val. Velthemii Hist. Conc. Hierosol. J. F. Buddei Eccl. apostol. Cap. IV. p. 185. sqq. J. D. Leonhardi Diatribe de decreto Conc. Hierosol. Jenæ 1728. &c. ** l. c. §. VI. p. 575.

nirent cognitionem: qui versabantur in errore simulque animum a Christiana disciplina alienum habebant, veritatem intelligerent, nomenque suum Christo darent. Hoc est, quod Lucas confirmat Actor. XV, 1. sqq. Etsi vero apostoli sæpe memorata, ad tempus saltem prohibuerint, propter scandalum, ut Confessores cordati in Confessione Augustana, abusu ultimo*, loquuntur, scortatione excepta, cujus prohibitio ipsa lege divina & naturali nititur; attamen decretum vel ab aliis etiam ecclesiis receptum, ac in orientali cumprimis, juris apostolici, si non divini, habitum fuit. Ut ex supra adducto canone Trullano, & ex Zonora liquet, θεία γραφὴ appellatum, & in canonibus, quos vocant, apostolorum sancitum est: *Si quis ex ordine clericorum carnem in sanguine animæ ejus, aut captum a bestia, aut suffocatum manducaverit, eum deponendum esse, id enim* legem *quoque interdixisse; laicum si idem fecerit, a communione excludendum***, varia patrum testimonia ut transeamus.*** Abiere vero ab hacce consuetudine recepta, in ecclesia latina quam plurimi, animadvertentes, nullum amplius inde offendiculum metuendum. *Quis jam*, Augustinus suo tempore scribebat*, *hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quorum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? & qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a ceteris irridentur &c.* Confirmat id & Theodorus Balsamon, græcus, qui in explicatione canonis apostolici supra allati, de latina & occidentali ecclesia tradit, eandem pridem a decreto apostolico, *divina scriptura*, descivisse, & *indiscriminatim suffocata comedisse*, ut & *Adrionopolitanos animalium sanguine*, μετὰ ἐδωδίμων τινῶν, *usos fuisse*, insuperque, ut & Zonoras, sibi imaginatur, eosdem legi Mosaicæ Gen. IX, 4. contravenisse.** Circa finem Sec.

* De potest. eccl. p. 43. edit Rechenb. ** Can. LXIII. edit: Jo. Baptistæ Coteleri, juxta alios can. LV. *** vid. Geverh. Elmenhorstii notæ ad Minut. Felicem c. XXX. p. 319. sqq. & Buddeus l. c. p. 283. * Lib. XXXII. contra Faustum C. XIII. T. VIII. Oper. p. 324. ** vid. D J. T. Major l. c. P. poster p. 23. Buddeus l. c. p. 286. sq. & quas allegat Guil. Beveregii Pandectæ canonum ecclesiæ græcæ p. 41.

Sec. IX. Imperator Leo eſum ſanguinis denuo, eamque ſeveriſſime vetuit *, ut conſtitutione LVIII. legere eſt, iisdemque omnibus graviſſimas pœnas, præſcriptionem nimirum bonorum, crudeliſſima flagra, exilium, imo cute tenus fœde tonderi, minatus eſt, qui ejusmodi cibum eſuri ſint. Interdixit eundem & Otto Bambergenſis converſis ad fidem Chriſtianam Pomeranis **, licet absque effectu. Eccleſiam orientalem, ſeu græcam, quod attinet, ea tenaciſſime interdicto de eſu ſanguinis & ſuffocato inhæret, & non paucos ſententiæ ſuæ defenſores numerare poteſt. Sic & inter eccleſiæ reformatæ doctores dantur, qui cum græcis eadem ſententia, ut Claudius Salmaſius & Chriſt. Becmannus, quibus adnumerare poſſumus Hug. Grotium, & Stephanum Curcellæum ex Remonſtrantibus, Chriſtoph. Sandium ex Neo-Arianis, & ex noſtratibus Thomam Bartholinum, virum de re medica & litteraria præclare meritum. * Non deſunt interim, qui eandem oppugnantes, eſum ſanguinis & ſuffocati, ut licitum, ſolide demonſtrant **, quæ vero cum cæteris mitti-

 mus,

* Interdictum ſic ſeſe habet : *Perlatum eſt ad aures noſtras, quod inteſtinis, tanquam tunicis, ſanguinem infartum, velut conſuetum aliquem cibum, ventri præbeant. Quod tolerari non debet &c.* Adduxit idem Sal. Gesnerus in Explic. Geneſ. diſp. IX. p. 220. ** Conf. clariſſ. Eckardus l. c. Tit. II. §. III. p 45. qui ſimul variis rationibus probatum ivit, eſum ſanguinis in ſe conſideratum, haud contra humanam naturam eſſe. Tempore veteris teſtamenti legem de non edendo ſanguine, fuiſſe *ceremonialem*, & ſub auſpiciis novi, *temporariam*. Interim omnino ab eſu ſanguinis abſtinere teneatur, qui hac in re teneræ conſcientiæ, provocans ad Beveregii Cod. can. prim. eccleſ. vind L. II. C. VII. §. V. *** vid. Leo Allatius de eccl. occid. & orient. perp. conſ. L. III. C. XIV. & Beveregius l. c. * In Diſſ. medica de ſanguine vetito, conf. Buddeus l. c. p. 287. ſqq. ** H. Grotium refutavit J. G. Dorſchæus in diſcuſſ. explicationis H. G. circa loc. Act. XV, 20. de ſangu. & ſuffoc. a filio ejusdem nominis excerpta & edita. Curcellæo oppoſuit J. H. Heideggerus ſcriptum ſub Tit. Libertas chriſtiana a lege cibaria veterum &c. Amſtel. 1672. & Bartholino Giſſæ Phil. Lud. Hannekenius Diſſ. de licentia ſanguinis eſcarii &c. vid. Buddeus l. c. p. 288. ſq. Eſum ſanguinis & ſuffocati defendit & Nat. Alexander H. E Sæc. I. Diſſ. X. & ex noſtratibus Sam. Schelguigius in Exerc. de Conc. Hieroſol. C. XLIV. quique auctores recenſet, qui pro & contra ſcripſere. vid. & cel. Eckardus l. c. p. 44. ſq.

mus, utpote ex iisdem, quæ exposuimus, facile dijudicanda. Reliqua, quæ Romanenses recensent, concilia, ne nomine quidem digna. Sunt etenim vel conventus privati, vel mere conficti, fabulasque redolentes. Inter hæcce primum tenet locum, concilium, quod Hierosolymitanum quartum vocant, in quo Symbolum apostolicum conditum dicunt, Ambrosio, Ruffino, Hieronymo, aliisque patribus e Sec. IV. & Leone M. Maximo Turinensi, Jo. Cassino aliisque e Sec. V. præeuntibus. * Vel ipsi sic dicti centuriatores Magdeburgenses hanc sententiam suam fecere, patres, præprimis Ambrosium secuti, quippe qui, forsitan primus, scripsit: *Duodecim apostoli, velut periti artifices, in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt, clavem enim quandam ipsum symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebræ, ut lux Christi adveniat.* ** Ruffinus *** eandem rem sic exposuit: *Omnes ergo in uno positi, & Spiritu Sancto repleti, breve istud futuræ sibi prædicationis indicium conferendo in unum, quod sentiebat unus quisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt.* Cæs. Baronius* id omne, ut *divinam* veneratur *veritatem*, & Genebrardus ** *præfractam temeritatem* judicat, si quis in dubium vocare audeat. Eo usque progrediuntur, ut cuilibet apostolorum articulum quendam tribuant. Petrus, ut narrant, primus dixit: *Credo in Deum, patrem omnipotentem*, Johannes addidit: *creatorem cœli & terræ*, Jacobus perrexit: *& in Jesum Christum, filium ejus unigenitum, Dominum nostrum*, Andreas: *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine*, Philippus: *passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus*, Thomas: *descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis*, Bartholomæus: *ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei omnipotentis*, Matthæus: *inde venturus est judicare vivos & mortuos*, Jacobus Alphæi: *Credo in Spiritum Sanctum*

* Conf. Petr. King. Hist. Symb. Apostol. p. 19. ** Serm. XXXVIII. T. III. p. 265. quæritur vero, an genuini? *** In expos. in Symb. §. II. p. 565. * In annal. ad an. Chr. XLIV. n. 14 p. 349. ** Lib. III. de Trinit. p. 204.

ctum: ſanctam eccleſiam Catholicam, Simon Zelotes: *Sanctorum communionem: remiſſionem peccatorum*, Judas Jacobi: *carnis reſurrectionem*, Matthias: *& vitam æternam, Amen.** Alii aliter totam ſtructuram recenſere ſolent, diſſenſum ut prætereamus, qui inter eosdem, de tempore celebrati concilii, regnat. Lucas ne minimam quidem ejusdem Concilii, nedum Symboli cujusdam, in eodem ab apoſtolis compoſiti, mentionem facit, ceteri ſcriptores ſacri omnes tacent, omnesque inſuper doctores per quatuor priora ſecula altum de hisce tenent ſilentium. Quomodo quæſo omnes rem tanti momenti præterire, quomodo & concilia, in iisdemque facta decreta, canonesque de eadem ſilere potuiſſent? Non eſt, ut rationes cumulemus, vel inter doctos eccleſiæ ſuæ viros dantur, qui omnia, quæ de Symboli compoſitione narrantur, pro perincerto aut habent, ut Jacob. Bajus** & Erasmus ***, aut in totum negant, ut Ludov. El. du Pin*, quippe qui variis rationibus evicit, ſymbolum, quod vocant, apoſtolicum, neutiquam ab apoſtolis confectum eſſe. Originem ducit e formula baptismi ſolemni Matth. XXVIII, 19. & denominationem debet doctrinæ apoſtolorum; exortæ vero ſubinde hæreſes fecere, ut per factas, ad muniendos confirmandosque contra easdem, fonte ſacro abluendos, additiones varias, magis magisque excreverit, tandemque formam nactum ſit, quam per tot ſecula, absque ulla mutatione, tenet. Veneramur Symbolum, compoſitionem ab apoſtolis factam, ut fictam & nullam rejicimus, concilium, eandem ob rationem, celebratum, iterum iterumque negamus & pernegamus.** Ejusdem generis & concilium Hieroſolymitanum

* Relata hæcce leguntur in ſcriptis ſpuriis Auguſtini, nimirum Serm. de Temp. T. X. p. 359. & ex edit. Benedict. T. V. oper. p. 280. in epiſt. XXVII. Leonis, in exeg. Symb. Apoſtol. Venantii Fortunati &c vid. Jo. Alb. Fabricii Cod. apocr. N.T. P. III. p. 339. ſq. ** Lib. I. inſtit. p. 26. *** In præf. in Matth. * In Biblioth. ſcript. eccleſ. Tom. I. p. 9. ſqq. ** conf. Moſis Amyraldi Exerc. de Symb. Apoſtol. G. J. Voſſii Diſſ. de trib. Symbol. H. Witſii Exercit. Sacr. in Symbol. quod apoſtol.

lymitanum quintum declaramus, in quo *constitutiones apostolicæ* conditæ, ab earundem defensoribus perhibentur *, a Clemente Romano deinde litteris consignatæ, inque octo libros digestæ. Inter Anglos & Guiliel. Whiston easdem, ut & canones, quos vocant, apostolicos, apostolis vendicare quovis modo studuit, iisdem eandem, ac sacris scriptis tribuens auctoritatem. Rejectæ vero sunt, ut adulterinæ, vel ab eruditis inter Romanenses, a Christiano Lupo scilicet, Natali Alexandro, Jo. Bapt. Cotelerio, Franc. Pagi, Halloixio, Petavio, Tillemontio aliisque. ** Inter nostrates non pauci idem fecere, præprimis noster Gerhardus *** & Ittigius *, qui solide demonstrarunt, aperte falsa, & tum contra fidei analogiam, tum contra historicæ veritatis regulam pugnantia, occurrere, & multa alia de episcoporum principatu & sessione, de Diaconorum vestitu, ac populi conventibus, de baptismi ceremoniis, de jejuniis & festis, & quæ reliqua, tempore apostolorum plane ignota. ** Plurimi eruditorum in eo conveniunt, quarto demum Seculo *constitutiones* quasdam, *apostolicas* dictas, innotuisse, quæ vero circa seculum sextum ab Ariano quodam corruptæ ac interpolatæ fuerint. ***

Aposto-

dicitur, ut Basnagii, Usserii, Heideggeri, Kingii, Calovii, Neumanni, Tenzelii, aliorumque ejusdem generis scripta silentio prætermittamus. conf. Buddei Isagog. in Theol. univers. L. II. C. II. p. 441. sqq. Walchii introduct. in Libr. Symb. Eccl. Luth. r. p. 87. sqq. it. ej. Hist. eccl. N. T. Sec. I. C. II. Sect. II. §. VI. p. 371. sq.

* Prodierunt Venetiis 1563. latine, una cum ampla præfatione & scholiis, cura Jo. Car. Bovii, & eodem græce, ut & Antwerpiæ 1578. opera Fr Turriani, & præfationibus & scholiis & explanationibus apologeticis exornatæ. ** vid. cel. Walchius l. c. Sec. I. c. I. §. VII. pag. 332. *** In Conf. Cathol. T. I. L. I. c. VII. p. 409. sqq. Cap. præced. VI. & canones apostol. ut apocryphos rejicit. * Differt. de pseudepigraphis Christi, Mariæ & apostolorum cap. XII. §. XIV. sqq p. 199. ** Rob. Cocus, clarus anglus, in censura auctorum, qui sub patrum nomine citantur, p. 30. sq exemplis probat, constitutiones memoratas, librum *ineptiarum* & *mendaciorum* plenum esse. *** conf. celeber. Walchius l. c. Buddeus Isagog. ad Theol. univers. L. II. cap. V. §. III. p. 747. Th. Ittigius Differt. de patribus apostol. §. LXX. p. 217. sqq. Carl. Fr. Pezoldus, duabus Diss. de Constit. apostol. Lips. 1698. Quibus addimus Andreæ Riveti Crit. Sacr. L. I. cap. II. T. II. p. 1070. &c.

Apoſtolicæ proinde dicuntur, ſed non ſunt; quis non & ipſum concilium explodat? Quis non & cetera? haud digna, quæ ſub examen vocentur, ni nobile tempus perdere, Tuaque, VIR MAGNIFICE, & benignitate & patientia abuti velimus, id quod nullo modo intendimus, in id unice potius defixi, ut ſincerum reverentiæ debitæ documentum exhibeamus, una cum votis ardentiſſimis, quæ vel idem nobis ſuppeditat, quæque benevola fronte ac animo, id quod ſubmiſſe petimus, ſuſcipere non dedignaberis.

Cecidit TIBI, VIR MAGNIFICE, ſors διακονίας permagni honoris, oneris maximi, idque a SVMMO, QVOD omnia dirigit, NVMINE, quippe QVOD, inter tot eruditione claros, TE SOLVM DIGNVM judicavit, QVI adeo ardua honorum faſtigia conſcendas, occupes, teneas. Adſit & TIBI, uti olim Matthiæ, larga ſua gratia, TEQVE æque, ac eundem, magis magisque impleat luce ſua divina, virtute & ſpiritu ex alto: Secundet ac proſperet omnes ſacros conatus Tuos, ut nunquam non collineatam metam attingas, ſimulque contra omnes ſatanæ, veritatique cœleſti infenſorum inſultus, TE potentiſſime tegat, obtegat, protegat. Faxit benigniſſimum in cœlis NVMEN, ut quæ in Illuſtriſſima Synodo Regia ac Electorali ſumma, eaque continua, & propoſiturus & conſul-

 turus

turus & conclusurus, ejusdem ponderis & eventus, ac sententia Petri, & decisio Jacobi, insuperque nunquam non, ut olim triumviri, Petrus, Jacobus & Johannes Ecclesiæ suæ ætatis, nostro Sioni Saxonico, COLVMNA & videaris & sis, nec non Fidei nostræ catholicæ apostolicæ DEFENSOR MAXIME STRENVVS, adeo salubrium Constitutionum ecclesiasticarum Saxonicarum CONSERVATOR DEXTERRIMVS, tandemque similiter Societatis nostræ, ejusdemque Fisci pastoralis & vidualis, ac electi septemviri olim viduarum pauperumque ærarii, FAVTOR, CONSVLTOR, CVRATORQVE BENIGNISSIMVS. Utque multa paucis: Faxit NVMEN TER OPTIMVM MAXIMVM, ut semper, idque vel ad Nestorios usque annos, & corpore & animo sanus, ex voto

DOCEAS,

CONSVLAS,

FAVEAS,

VIVAS.